
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Friedrich-Wilhelms-Gymnasium

zu

NEU-RUPPIN.

Ostern 1879.

Inhalt: 1. Quaestiones criticae Euripideae Scr. Dr. R. Schenk.
2. Jahresbericht.

NEU-RUPPIN.
Dampf-Schnellpressendruck von Gustav Kühn.

1879. Progr. Nr. 73.


HARVARD COLLEGE
AUG 8 1896
LIBRARY.

Quaestiones criticae Euripideae.

In Euripidis fabulis vel post immortalia Hermanni, Kirchhoffii, Nauckii, aliorum merita multos etiamnunc exstare versus, qui laborem et molestiam afferunt legentibus atque a felicioribus manibus medelam exspectant, facile omnes concedent, qui in hoc poeta collocaverint aliquam et operam et industriam. Neque enim pauci in omnibus fere tragoediis inveniuntur loci, in quibus corrigendis ac sanandis etsi critici jamdiu multum elaboraverunt, tamen adeo non sublata est omnis dubitatio, ut in perpetuum videantur in dubio atque incerto relinquendi esse. Alii rursus, quamquam a multis nequiquam tractati, tamen ii videntur esse, quos aliquando persanari atque in integrum restitui posse non desperemus. Quare cum haec scribendi occasio mihi data sit, operae pretium me facturum arbitror, si aliquot difficilioribus, de quibus potissimum inter se dissident interpretes, versibus electis, quae in eorum emendatione videar mihi posse proficere, his paginis virorum doctorum judicio proponam. Et primum complures ex Cyclope depromam, qua in fabula editores multos locos illi quidem feliciter et vere correxerunt, sed non paucos ad integritatem perducere frustra conati sunt, alios etiam temere atque inconsulte in dubium vocaverunt; deinde nonnullos nondum satis emendatos aut immerito temptatos ex aliis quoque ejusdem poetae fabulis adjungam.

Atque ut ab initio Cyclopis exordiar, jam in quinto versu docti homines non sine causa inter se dissentiunt, qua ratione codicum scriptura emendanda sit. Silenus, postquam se et praesenti et praeterito tempore Bacchi gratia multa subiisse pericula exposuit multosque perpessum esse labores, pergit sic:

[1]) v. 3. *πρῶτον μὲν ἡνίκ' ἐμμανὴς Ἥρας ὕπο*
Νύμφας ὀρείας ἐκλιπὼν ᾤχου τροφούς·
5. *ἔπειτά γ' ἀμφὶ γηγενῆ μάχην δορὸς*
ἐνδέξιος σῷ ποδὶ παρασπιστὴς γεγὼς
Ἐγκέλαδον ἰτέαν μέσην θενὼν δορὶ
ἔκτεινα.

Quibus verbis cum Hermannus adscribat: 'Heathium legentem *ἔπειτα δ'* alii secuti sunt; praegressa consideranti non poterit dubium esse quin Euripides *ἐπεὶθ' ὅτ'* scripserit', Nauckius, Dindorfius, Kirchhoffius summi critici auctoritati sine dubitatione obtemperandum duxerunt. Non satis considerate, ut ego quidem arbitror, cum *ἔπειτά γ'* sine dubio facilius ex *ἔπειτα δ'*

[1]) In versibus numerandis secutus sum editionem Dindorfianam.

quam ex ἔπειϑ' ὅτ' oriri potuerit. In *ΕΠΕΙΤΑΔΑΜΦΙ* enim excidisse *Δ*, correctorem autem, id quod non raro factum est, postea pro δ' inseruisse γ'[1]) multo propius vero abest quam illud, quod Hermannus videtur putavisse, librarios, qui saepius terminationes verborum apostropho sublatas expleverunt, saepius formam breviorem retinuerunt ita, ut litteram aspiratam mutarent in tenuem, hoc loco ἔπειτ' ὅτ' scripsisse indeque depravatum esse ἔπειτά γ'. Accedit quod poetam in hac longiore enuntiatione inceptae structurae tenorem deseruisse veri est simillimum. Quae opinio mea videtur eo confirmari, quod tertio versu Cyclops nihil narrat, nisi quo tempore, quinto autem et sequentibus accuratius fusiusque exponit, quales fuerint sibi subeundi labores. Cur igitur potius Hermanno quam Heathio assentiamur, necessariam causam reperire non possum. Vehementer vero falli mihi videtur qui ἔπειτά τ' scribendum proponit Wiesznerus; qui cum non pauca attulerit exempla, quibus non semper πρῶτον μέν et ἔπειτα δέ inter se respondere, saepe etiam πρῶτον μέν et ἔπειτα inveniri demonstretur, tamen nullum addere potuit, in quo ἔπειτά τε respicit ad πρῶτον μέν. Longe aliter se habere τ' ἔπειτα, quod est apud Aesch. Choeph. v. 538. *(πέμπει τ' ἔπειτα τάςδε κτλ.)*, facile est ad intellegendum. Interdum τέ solum sequi post πρῶτον μέν e duobus exemplis Euripideis satis perspicuum est, Heraclid. 338. *πρῶτα μὲν σκοποὺς πέμψω — μάντεις τ' ἀϑροίσας ϑύσομαι* (ubi Lentingius mavult δ'), et Hippol. 996. *ἐπίσταμαι γὰρ πρῶτα μὲν ϑεοὺς σέβειν φίλοις τε χρῆσϑαι;* nusquam autem reperimus ἔπειτά τε.

Etiam in versibus 15. et 16. peccaverunt mea quidem opinione recentiores, cum eas conjecturas, quibus hi versus jam pridem reducti sunt ad sanitatem, repudiarent. Codices exhibent haec:

v. 14. ἐν πρύμνῃ δ' ἄκρᾳ
αὐτὸς λαβὼν εὔϑυνον ἀμφῆρες δόρυ
παῖδές τ' ἐρετμοῖς ἥμενοι γλαυκὴν ἅλα
ῥοϑίοισι λευκαίνοντες ἐζήτουν σ', ἄναξ.

Offendimus cum in v. 15., tum vero maxime in 16., quod poetae ἧσϑαι ἐπί τινι, non (nisi si notionem sedendi in aliquo loco exprimunt, cfr. Aeschyl. Agam. 835. ἧσϑαι δόμοις, Eurip. Electr. 315. ϑρόνῳ κάϑηται, quos dativos esse locales nemo nescit) ἧσϑαί τινι usurpare consuerunt. Atque Frankius, cum neque locutum esse quemquam neque omnino loqui posse ἐρετμοῖς ἧσϑαι sibi persuasisset (cfr. Alcest. 361. οὔπὶ κώπῃ ψοχοπομπός et 439. ἐπὶ κώπᾳ πηδαλίῳ τε γέρων νεκροπομπὸς ἵζει), tamen vulgatae patrocinium, memor Homerici illius versus Odyss. XII, 180. αὐτοὶ δ' ἑζόμενοι πολιὴν ἅλα τύπτον ἐρετμοῖς, ita suscepit, ut interpunctione sublata ἐρετμοῖς cum ῥοϑίοισι conjungendum (cfr. Iph. Taur. 1133. ῥοϑίοις πλάταις), ἥμενοι autem pariter atque Homericum illud ἑζόμενοι nude et sine ullo additamento positum arbitraretur. Seidlerus e contrario librarios incuriae insimulans vulgata interpunctione restituta legi jussit ἐπ' ἐρετμοῖς, quam conjecturam eo magis comprobandam censeo, quod ἐρετμοῖς aperte cum ἥμενοι construendum est. Neque enim solum, ut jam Hermannus ait, adjectivum tam longe remotum a substantivo suo displicere debuit, sed ne ἥμενοι quidem apte dictum esset, cum sese stetisse Silenus antea non commemoraverit; deinde et sententia ipsa et verborum collocatio, quoniam Silenus sibi gubernanti remigantes filios opponit, necessario postulant ἐπ' ἐρετμοῖς. Quid? nonne manifesto inter se opposita sunt αὐτὸς ἐν πρύμνῃ ἄκρᾳ sc. ὢν et παῖδες ἐπ' ἐρετμοῖς ἥμενοι (h. e. ad remos sedentes), tum εὔϑυνον δόρυ et λευκαίνοντες ἅλα? Quam autem facile accidere potuerit, ut librarius nescio quis in his verbis, quae olim

---

[1]) cfr. Troad. v. 1053, ubi pro ἔσται δ' ἃ βούλει codices exhibent ἔσται γ' ἅ.

uncialibus litteris exarata erant, neglĕgentia praeteriret ἐπ', nemo est quem fugiat. Stabiliri videtur haec Seidleri emendatio simili versu, quem legimus apud Homerum Odyss. XII, 171. *οἱ δ' ἐπ' ἐρετμὰ ἑζόμενοι λεύκαινον ὕδωρ ξεστῇς ἐλάτῃσιν.* Neque vero ulla, *(ἐπ') ἐρετμοῖς* quo pertineret, omnino exoriri potuisset dubitatio, nisi poeta institutae structurae tamquam oblitus et orationis forma repente mutata pro verbo finito posuisset participium *(λευκαίνοντες)*, pro participio verbum finitum *(ἐζήτουν)*. Quae cum ita sint, *ῥοθίοισι*, quod idem est atque 'undis remorum pulsu excitatis' (cfr. Iph. Taur. 1387. *λάβεσθε κώπης ῥόθιά τ' ἐκλευκαίνετε*, Helen. 1269. *ὥστ' ἐξορᾶσθαι ῥόθια χερσόθεν μόλις*, 1503. *ῥόθια πολιὰ θαλάσσας*, 1575. *ῥόθιά τ' ἐξεπίμπλατο βοῆς*, Electr. 992. *ἐν ἁλὸς ῥοθίοις)*, hoc loco non principalem adjectivi significationem habere, sed substantivi partes agere persuasum habeo. Cumque ne hoc quidem fieri possit, ut *ἐρετμοῖς* cum *ἐζήτουν* construatur, quae junctura locis, qui videntur illi quidem similes esse sed sine controversia alius generis sunt, ut Iph. Aul. 764. *εἰρεσίᾳ πελάζῃ* et Troad. 123. *κώπαισι βαίνειν Τροίαν*, nullo modo defendi potest; cum illud quoque probabilitatis specie careat, verbum quod est *ἐρετμοῖς* absolute positum significare 'remigantes': Fixius et Dindorfius videntur mihi recte fecisse, quod hanc Seidleri emendationem in verborum ordinem recipere non dubitarunt. Saepenumero in Euripidis fabulis integra vocabula similitudine vel praecedentium vel sequentium absorpta excidisse et jam multa hujus generis a criticis feliciter restituta esse quis est qui nesciat? — Relinquitur v. 15., qui non minus magna laborat difficultate, sed non tanta, ut quid verum sit intellegi omnino non queat. Qua in removenda quid utilitatis percipiatur ex ea quam in hunc locum profert Wiesznerus conjectura *εὔθυνον*, equidem assequi non possum. Nam praeterquam quod oratio insolenter a grammatica construendi norma abhorreret *(ἐγὼ αὐτὸς παῖδές τε ἐζήτουν σε)*, siquidem *δόρυ* ut ille vult 'clavus' est, neque sententiam hac re paulo planiorem evadere, et *εὔθυνον* ad *ἀμφῆρες δόρυ* adjectum plane abundare vix est quod moneam. Jure autem viris doctis dubitatio moveri videtur, utrum legendum sit *λαβών* an id quod Scaliger proposuit *λαχών*, et qui (ut Wiesznerus et Hartungius) ad difficultatem tollendam nihil referre dicunt, *λαβών* an *λαχών* anteponamus, aperte in magno versantur errore. Ac primum quidem in dubium vocari non potest, quin, *λαβών* scribentes, *ἀμφῆρες δόρυ* nihil aliud quam 'gubernaculum' intellegere cogamur (quid enim vult sibi *λαβὼν εὔθυνον τὴν ναῦν?*[1]), *λαχών* autem praeferentibus aut gubernaculum aut navem interpretari liceat, quoniam *λαχών*, ut nemo ignorat, non solum 'nactum', sed etiam '(sorte) destinatum' significat, ut Heraclid. 36. *κλήρῳ λαχόντας*, 546. *χᾗθ' ἡ λαχοῦσα θνησκέτω*, Aristoph. Av. 1022. *τῷ κυάμῳ λαχών*, Iliad. XXIII. 354., 356., 357. etc. Cum autem *εὔθυνον* propter verborum collocationem a *δόρυ*, quod mente certe quidem ad *εὔθυνον* cogitandum est (nemo enim interpretabitur: 'ego clavo sumpto gubernavi sc. navem'), non possit secerni: si *λαβών* retinemus, haec verba non aliter possunt verti quam 'ipse nactus (gubernaculum) direxi gubernaculum', quod si recte se haberet, *λαχών* inutilis esset conjectura; sin autem *ἀμφῆρες δόρυ* non significat 'gubernaculum', sed 'navem', nihil aliud verum est quam *λαχών*: 'ipse ad hanc rem destinatus gubernavi navem'. Quae cum ita sint, non prius certi quicquam dici poterit de sententia, quam verborum quae sunt *ἀμφῆρες δόρυ* veram vim ac potestatem invenerimus. Cum Graeci praeter *κυβερνᾶν* et *ἀπορθοῦν* (cfr. Phrynich. Bekk. An. p. 13,21.) etiam *εὐθύνειν ναῦν*, non *εὐθύνειν οἴακα*, sed potius *ἡ οἴαξ εὐθύνει τὴν ναῦν* videantur

---

[1]) Non multi acquiescent Fixii interpretatione: 'corripiens navem a parte gubernaculi, regebam eam remis utrimque instructam'.

dixisse, praeterea autem *εὐθύνειν* nusquam absolute positum sit, equidem Scaligeri conjecturam unice veram putandam esse pro certo atque explorato habeo[1]). Profero aliquot exempla, quibus hic quem dixi *εὐθύνειν* verbi usus egregie illustratur: Iliad. XXIII., 317. *κυβερνήτης ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ νῆα θοὴν ἰθύνει*, Odyss. IX, 78. *τὰς (νῆας) δ' ἄνεμός τε κυβερνῆταί τ' ἴθυνον*, XI, 10. *τὴν δ' ἄνεμός τε κυβερνήτης τ' ἴθυνεν* et V, 270. *αὐτὰρ ὁ πηδαλίῳ ἰθύνετο* sc. *νῆα*, Eurip. Helen. 1611. *ἐπ' οἰάκων δὲ βὰς ἄναξ ἐς Ἑλλάδ' εἶπεν εὐθύνειν δόρυ*, Hecub. 39. *πρὸς οἶκον εὐθύνοντας ἐναλίαν πλάτην*, Hippol. 1227. *ἔχων οἴακας ἰθύνοι δρόμον*, Aeschyl. Suppl. 717. *οἴακος ἰθυντῆρος ὑστάτου νεώς*, Pers. 411. *ἐπ' ἄλλην (ναῦν) ἄλλος ηὔθυνεν δόρυ*, quo loco *δόρυ* recte interpretati sunt 'navem'; apud Hesychium explicatur *νεηλάτης 'ὁ ἰθύνων τὰ πλοῖα'*. De gubernaculo tractando Graeci *νωμάω, νέμω*, similia frequentaverunt, ut Odyss. XII, 218. *οἰήια νωμᾷς*, Aeschyl. Sept. 3. *οἴακα νωμῶν*, Agam. 776. *οἴακα νέμων*, Eurip. Helen. 1591. *σὺ δὲ στρέφ' οἴακα*, Med. 523. *οἰακοστρόφος*. Plura hujus generis congerere credo me supersedere posse. Hoc quidem omnibus manifestum erit, *ἀμφῆρες δόρυ* 'navem' significare, *λαβών* igitur hoc loco ferri non posse.

In primo cantico, de quo emendando et ad ordinem redigendo critici bene meriti sunt neque tamen omnia satis expedire potuerunt, duo praecipue versus accuratius pertractandi videntur. Ac primum quidem non idem judicant viri docti de v. 47., in quo Casaubonus vulgatam non esse sanam perspiciens facillima et felici emendatione pro *οὐ* restituit *οὗ*. Legimus

v. 44. *οὐ τᾷδ' ὑπήνεμος αὔρα·*
δινᾶέν θ' ὕδωρ ποταμῶν
ἐν πίστραις κεῖται πέλας ἄν-
τρων οὗ σοι βλαχαὶ τεκέων;

Mire Hartungius et Wiesznerus, contendentes totius loci sententiam ac structuram refragari verbis *οὗ σοι*, pristinam scripturam in sedem suam reducendam existimaverunt: quorum opinioni equidem non accesserim. Neque enim solum, poeta num sicut antea *πᾷ* (v. 41. et 43.) eodem modo hic *οὐ* repetierit, vehementer dubitandum est, quod sic praesertim alio enuntiato interjecto *οὐ τᾷδε*, non *οὐ* iterandum erat; sed etiam ad verba praegressa *πέλας ἄντρων* aptissime addi *οὗ σοι βλαχαὶ τεκέων* nemo est qui non intellegat. Quin etiam, ut in primo versu propter *τᾷδ'* pronomen non opus fuit adicere *ἐστίν*, sic in extremo, cum *ὕδωρ κεῖται ἐν πίστραις* praecedat, certe magnae esset offensioni, si poeta post *οὗ σοι* nullum poneret verbum finitum. *τᾷδ'* autem, signo interrogationis post *τεκέων* sublato, ut quidam editores voluerunt, ad *σκοπέλους* antea commemoratos referre eo prohibemur, quod sic *δινᾶέν θ' — ἄντρων* superioribus verbis parum commode adjungeretur totaque haec verba chori, praesertim exhortantis, misere languerent. Quae cum ita sint, nihil melius et verius est illa lenissima mutatione Casauboni, distinguendum autem commate post *κεῖται*, ita ut reliqua verba uno tenore legantur. — De media et extrema carminis parte omnium primus recte judicavit Kirchhoffius, vv. 49 — 54. non posse respondere versibus 63 — 68., sed potius ab versu 63. incipere epodum bene intellegens. Frustra enim haud mediocrem voluptatem animo cepit Hartungius, quod ipse permultis transpositis et mutatis melius quam Hermannus stropharum rationem posset restituere: in eandem antistropham copulare et illos versus, quibus chorus greges ut propius accedant ad antrum impellit, et totidem alios quibus neminem

[1]) Etiam Supplic. 1132. (*ἔρημον οἶκον ὀρφανεύσομαι λαβών*) reponendum est quod proponit Kirchhoffius *λαχών*.

nisi se ipse alloquitur (63—68.), mihi quidem pravissimum videtur. Neque magis Nauckio, qui eandem tenet sententiam, *οὐ τάδε Βρόμιος κτλ.* esse finem antistrophae, contigit ut hos versus strophae accommodaret. Quare non dubito quin post 62. aliquot versus strophicis 49—54. respondentes interciderint, quos nemo jam eruere possit. Kirchhoffium enim, quod post 62. censet olim lectos fuisse repetitos vv. 49—54., omissos a librariis non errore, sed, ut aliquotiens apud Aeschylum factum est, consulto, hoc loco paulo longius a vero afuisse vel propterea mihi persuasissimum est, quod ex tota sententiarum ratione videtur concludendum esse oves magis magisque appropinquare antro. Quas non posse dici eosdem clivos conscendisse atque antea per se patet. — Alter est versus 60., de quo, quamvis plerique (ut Nauckius) eum a Seidlero persanatum credant, haud exiguus scrupulus mihi relinquitur.

v. 58. *ποθοῦσί σ' ἀμερόχοιτοι*
βλαχαὶ σμικρῶν τεκέων.
εἰς αὐλάν ποτ' ἀμφιβαλεῖς
ποιηροὺς λιποῦσα νομούς
Αἰτναίων εἴσω σκοπέλων;

Adnotat ad v. 60. Ud. de Wilamowitz-Moellendorff (Anal. Eurip.) haec: '*ἀμφιβαίνεις* PC, *γρ. ἀμφιβάλῃ* fortasse C2, *ἀμφιβαλῇς* c. locus lectu difficilis'. Neque *ἀμφιβαλεῖς*, eo minus commendabile, quod quidquid a c profectum est, ut ait W., abiicere et contemnere debemus, neque *ἀμφιβαίνεις*, quibus ex verbis quidam vim introeundi extundere conati sunt, recte se habere hodie nemo est qui infitias eat. Quod cum ita sit, Seidlerus una littera acute immutata scribi voluit *ἀμφιθαλεῖς* et postea *εἴσει*, ex quibus illud, ut Wieszneri verbis utar, sagacius quam verius conjectum videtur. Nam *ἀμφιθαλής*, cum de aliis saepenumero, de pratis autem vel pascuis, quae floribus abundant, nusquam usurpatum inveniamus, sine dubio Graeci sermonis usu ab hoc loco omnino excluditur. Neque magis satisfacit quod Wiesznerus ipse excogitavit, qui aut *ἀμφιβάλλειν* idem esse quod *ἀμφισβητεῖν* et interpretandum 'in stabulum ire forte dubitabis herbosis pabulis relictis in Aetnaeos scopulos?' aut *ἀμφινοεῖς*, quo sententia exprimatur eadem, restituendum censet; sed siquidem haec quam ille vult sententia ex verbis elici posset, certe *Αἰτναίων εἴσω σκοπέλων* supervacaneum atque ineptum esset. Ingeniosa videtur alia conjectura, *ἀμφιλαφῆ*, profecta ex manu Hartungii et a Dindorfio recepta; quae cum nobis eo arrideat, quod *ποιηρούς* nude ad *νομούς* adjunctum sufficit (similiter legimus in strophae v. 45. *ποιηρὰ βοτάνα), αὐλάν* autem vix adjectivo carere potest, tamen vereor, praesertim cum tragici verbo quod est *ἀμφιλαφής* nusquam hanc vim subiciant, ne sub *ἀμφιβαλεῖς* aliud lateat vocabulum. *εἴσει* quoque, quo saepius haec perlego, eo certior mihi stat persuasio repudiandum esse, cum uno praesertim versu interposito nihil aliud quam *Αἰτναίων εἴσω σκοπέλων* exspectandum sit. Neque enim *Αἰτναίων σκοπέλων,* si recte se haberet, cum *νομούς,* neque cum *αὐλάν* (quid enim est *αὐλὴ Αἰτναίων σκοπέλων?)* conjungi posset. Circumspicienda igitur est alia emendandi ratio. Etsi autem propter versus, qui post *σκοπέλων* exciderunt, omnino nihil certi proferri potest, tamen quae mihi in mentem venerunt de hoc desperato loco in medium proferre audeo, *εἰς αὐλάν* superioribus adjungendum esse *(ποθεῖν εἰς αὐλάν* = herbeisehnen in den Stall; cfr. Alcest. 363. *ἐκεῖσε προσδόκα με),* ita ut post *αὐλάν* plene interpungamus, et postea legendum *πότ' ἀμφιπολεῖς (πότ'* exhibet etiam codex C, cfr. Wilamowitz p. 13.), cui quod olim superscriptum fuerit *ἀμφιβαίνεις,* non modo *εἰς αὐλάν* a librariis cum hoc verbo conexum esse, sed etiam codicum fluctuationem et

duplicem scripturam *ἀμφιβαίνεις* et *ἀμφιβαλεῖς* exortam esse. Fortasse igitur haec erant olim scripta:

ποθοῦσί σ' ἀμερόκοιτοι
βλαχαὶ σμικρῶν τεκέων
εἰς αὐλάν. πότ' ἀμφιπολεῖς,
ποιηροὺς λιποῦσα νομούς,
Αἰτναίων εἴσω σκοπέλων;

'Quando herbidis pascuis relictis apud agnos versaris intra Aetnaeos scopulos?' *ἀμφιπολεῖν*, cujus usus apud poetas haud infrequens est (cfr. Oedip. Col. 680. *θείαις ἀμφιπολῶν τιθήναις*), significare etiam 'schützend umwandeln' apparet ex Theocr. Idyll. I, 124., ubi Pan dicitur *ἀμφιπολεῖν μέγα Μαίναλον*. In eo autem, quod praesens sustinet quodammodo futuri vices, nemo offendet.

Mirandum est quod Wiesznerus, qui nonnullis locis criticam exercuit sobrio judicio, librorum testimonium, ubi integrum plane atque incorruptum videri poterat, saepius sine justa causa neglexit.

v. 83. *ποίμνας ἀθροῖσαι προςπόλους κελεύσατε.*

Aldum, in cujus editione *προςπόλοις* invenitur, cum codices *προςπόλους* dent, per errorem lapsum esse per se patet; attamen cum alii scripturam Aldi praeferendam censuerunt tum Wiesznerus. Quod vereor ne incogitate fecerit. Nam causa, qua ductus hic *προςπόλους* in *προςπόλοις* mutari vult, quod Euripides hac in fabula componenda Homeri carminibus usus sit, Homerus autem multis locis *κελεύειν* verbo dativum adjunxerit, certe vana et nulla putanda est. Non minus temere mutavit alios locos, de quibus posterius. Similiter, id quod paucis commemoro, Otto Jahnius[1]) versum 19. *(ἀπηλιώτης ἄνεμος ἐμπνεύσας δορί)*, quod jam v. 15. idem Silenus dicat *ἀμφῆρες δόρυ*, vocabulum autem tam brevi spatio interposito repetitum necessario offendat, inutili conjectura temptavit, pro *δορί* legendum proponens *σκάφει*. An vero hoc loco verbum quatuor versibus interjectis iteratum ferri non potest: v. 5. et 7. idem *δόρυ* bis positum se recte habet?

v. 115. Ulixes interrogat: *τείχη δὲ ποῦ 'στι καὶ πόλεως πυργώματα;*

Quare v. 116. librariorum peccatum sentire mihi videor, cum exspectandum sit non *οὐκ εἴσ'*, in quo adhuc nemo haesitavit, sed *οὐκ ἔστ'*.

v. 131. *οἶσθ' οὖν ὃ δράσεις, ὡς ἀπαίρωμεν χθονός;*

Cum Cantero, qui optimo jure *δράσεις* mutavit in *δρᾶσον*, dissentiunt et Hermannus, contendens, quod ita loqui soliti sint Attici, non continuo sequi eos ubique ita locutos esse, et Wiesznerus, qui immemor eorum, quae Elmsleius Medeae v. 600. adscribit ('nemo ignorat Attice non dici *οἶσθ' ὡς ποιήσεις*, sed *οἶσθ' ὡς ποίησον*'), locos, in quibus inveniatur futurum, complures profert, ut Med. 600. *οἶσθ' ὡς μετεύξῃ;* (ubi Elmsleius vere reposuit *μέτευξαι*[2]) et praecipue Iph. Taur. 747. *ἀλλ' οἶσθ' ὃ δράσω;* 'Ex hoc, inquit, exemplo videtur mihi sequi nihil esse, quod Euripides, si prima temporis futuri persona in ejusmodi dictione usus sit, altera non utatur'. Quod longe secus est. Nam cum Iphigenia, quae ibi loquens inducitur, pronuntiet quid ipsa factura sit (sequitur *φράσω*), certe aliter dicendum est, ac si quis ab altero petat ut quidpiam faciat, et futurum solum recte se habet. Quotiens autem quis, ut

[1]) Philol. XXVIII, pag. 5.

[2]) Non assentior Rudolfo Prinz, qui *μετεύξῃ* in editione sua retinet.

hoc loco fit, ab alio postulat ut rem suscipiat, nusquam poetas imperativis usos esse non invenias. Quare codicum scripturae defensio non erat suscipienda.

Idem Wiesznerus vulgatam codicum auctoritate munitam deserendam censet in v. 136:

καὶ τυρὸς ὀπίας ἐστὶ καὶ βοὸς γάλα.

Quae verba cum aliter lecta videantur Athenaeo exhibenti *Διὸς γάλα*, ille hunc versum ad sanitatem revocandum esse sibi persuasit scribendo *οἰός*, quia in Cyclopis fabula apud Homerum nusquam, apud Euripidem tribus locis vaccarum vel boum fieret mentio, plurimis ovium. 'Accedit quod paullo ante, inquit, Silenus, qua vivendi ratione Cyclopes utantur, exponens dicit v. 122. *(ζῶσι) γάλακτι καὶ τυροῖσι καὶ μήλων βορᾷ.*' Verum haec nihil habent probabilitatis. Nam si exiguum discrimen intercedere inter Euripidis et Homeri narrationem concedit, certe ne hoc quidem loco Homeri gratia temere mutanda erant Euripidis verba; non quam raro Euripides de bubus, de ovibus quam saepe fecerit mentionem observandum est, sed num ovium tantum, non vaccarum lac commemoraverit. Si igitur versuum 218. *(γάλα μήλειον ἢ βόειον ἢ μεμιγμένον)* et 389. *(μόσχους ἀμέλξας)* rationem habemus, *βοός* hoc loco falsum esse scribendumque *οἰός* ne cum levissima quidem specie verisimilitudinis concludi potest. Quod autem ex v. 122. affert *μήλων βορᾷ*, quasi ex his verbis *οἰός* se recte habere appareat: ego satis mirari non possum. An *μήλων βορά* significat lac ovium? Quae cum ita sint, quin Wiesznerus immerito offenderit in hoc versu ejusque conjectura plane repudianda sit, quis est qui dubitet?

Pervenio ad locum admodum difficilem. Silenus, Ulixe rogante ut merces secum mutans oves, lac, caseos tradat pro vino, eam conditionem magna cum laetitia accipit.

164. *ὥς ἐκπιεῖν γ' ἂν κύλικα μαινοίμην μίαν*
πάντων Κυκλώπων ἀντιδοὺς βοσκήματα
ῥίψαι τ' ἐς ἅλμην λευκάδος πέτρας ἄπο
ἅπαξ μεθυσθεὶς καταβαλών τε τὰς ὀφρῦς.

Ut par erat, critici haec verba non intacta reliquerunt, cum complura medicam flagitent manum. Atque nihili esse quod legimus in Aldina *βουλοίμην* hodie nemo est qui non concedat; Hartungium vero, qui *μὴ ἀντιδούς* et pro *ῥίψαι* sine necessaria causa *πίπτειν* (cfr. de *ῥίπτειν* verbi intransitivo usu Heraclid. 149. et Alcest. 897.) legendum coniciens ita interpretatur 'ich wäre ein Narr, wenn ich nicht die ganze Heerde dafür hingebe, um auch nur einen Becher auszutrinken und meinetwegen dann mich in's Meer werfen zu lassen, wenn ich mich nur einmal habe berauschen dürfen', sententiam non recte perspexisse ex postremis ejus verbis clare elucet: quasi vero Silenus pecora tradere velit, ut in mare deiciatur! Kirchhoffius autem, *μή* ante *ἀντιδούς* Hartungio jubente inserens, de sua conjectura *ῥίψας τ'* atque *ἐκπιών* proponit, ut haec fere exeat sententia: 'Nam uno poculo epoto mente captus sim, nisi omnium Cyclopum pecora rependam meque etiam in mare praecipitem' (aperte enim *μή* ante *ῥίψας τ'* audiendum esse arbitratur). Qua in emendatione propterea non puto acquiescendum, quod *μεθυσθείς* et *ἐκπιὼν κύλικα μίαν* inter se nullo modo videntur conciliari posse. Quid enim volunt sibi haec: 'uno scypho epoto amens sim, nisi semel tantum inebriatus me in mare proiciam? Nonne potius dicendum erat ad hunc fere modum: 'uno scypho exsiccato ad hanc adductus sum opinionem, ut me amentem fore credam, nisi (omnia pecuaria vendam et) in mare me praecipitem semel tantum bene potus?' Si autem minorem Kirchhoffii editionem sequimur, in qua *ἐκπιεῖν* non sollicitat, reliquas autem conjecturas suas in poetae verba recipit, totum

hoc enuntiatum nihilo magis offensione vacat. An vero fieri potest, ut haec omnia sic construantur: *ὡς μαινοίμην ἂν μὴ ἀντιδοὺς πάντων Κυκλώπων βοσκήματα, μίαν κύλικα ἐκπιεῖν, μηδ᾽ ῥίψας ἐς ἅλμην, ἅπαξ μεθυσθείς?* Quod cum credi non possit (mire enim dicta essent haec: 'insaniam, si me non in mare praecipitem'), nulla ex Kirchhoffii conjecturis videtur mihi retinenda esse. Multo facilius conspiraverim cum Wiesznero, qui legi vult *ῥίψαιμ᾽ ἐς*, quod respondeat *μαινοίμην* verbo, ita ut 'quaedam enuntiatorum similitudo efficiatur.' 'Silenus, inquit, a minore ad majus procedit: ut bibere possit, primum omnia dare vult, quae sua non sunt, deinde suam offert vitam.' Quamquam partem tantummodo veri assecutus est, neque tota comprobanda videtur ejus sententia, quandoquidem verba inde a *ῥίψαιμ᾽ ἐς* usque ad *ὀφρῦς* cum praegressis nullo modo conjungi possunt artiore vinculo totusque locus, ni fallor, sic explicandus est: 'vel unius calicis ebibendi causa mente aliener omnium Cyclopum greges dans h. e. tam insanus sim, ut omnium Cyclopum greges vobis tradam; si autem semel tantum temulentus sim, facile me praecipitem in mare.' Cum Silenus uno poculo jam epoto nondum crapulae plenus sit, certe nemo hoc contendet, versu 167. nihil novi addi, sed sententiam versus illius 164. *(ἐκπιεῖν κύλικα μίαν)* his verbis quasi repeti. Quare falluntur qui (ut Hartungius) Silenum affirmare putent, sese unius poculi causa nanciscendi se in mare dejecturum esse. Post *βοσκήματα* igitur majore distinctione incidendum totumque enuntiatum *χιαστῶς*, ut ita dicam, compositum est. Quocirca *γέ* particula, ut Paleius vult, in *κ᾽* mutata (cfr. Heraclid. 685. *τί δ᾽ οὐ θένοιμι κἂν ἐγὼ δι᾽ ἀσπίδος;*) legendum propono:

ὡς ἐκπιεῖν κἂν κύλικα μαινοίμην μίαν
πάντων Κυκλώπων ἀντιδοὺς βοσκήματα·
ῥίψαιμι δ᾽ ἐς ἅλμην λευκάδος πέτρας ἄπο
ἅπαξ μεθυσθεὶς κτλ.

Praeter versus Ulixis, cujus oratio a severitate tragicorum numerorum nihil discedit, in secundo trimetri pede anapaestum in Cyclope frequentissimum esse nemo nescit (cfr. 269. et 560.); ex *ῥίψαιμι δ᾽ ἐς* autem ob librariorum incuriam oriri potuisse *ῥίψαι τ᾽ ἐς*, qui uncialis scripturae meminerit, facile concedet. F. W. Schmidt[1]) huic toti loco censet medicinam afferri, si legatur '*μαιοίμην, μιᾶς* et postea *ῥῖψαί τ᾽* h. e. 'velim totum scyphum epotare, pro uno rependens omnia pecuaria, meque in mare deicere etc.' Quae conjecturae, praesertim cum Silenus jam ex uno scypho vinum exhauserit et praetera quae in his Sileni verbis inesse putanda est vis nimium comminuatur, a criticis vereor ne vix comprobentur.

In versibus inde a 175. usque ad 197. cum personarum distributio, qualem in codicibus invenimus, haud dubie perversa sit, jam Tyrwhittus rem tam feliciter expedivit, ut hodie de uno tantum versu dubitatio moveri possit,

193. *οἴμοι· Κύκλωψ ὅδ᾽ ἔρχεται· τί δράσομεν;*

quem codices Ulixi assignant, L. Dindorfius Sileno continuat, Hermannus autem recte mihi choro videtur attribuere. Ac primum quidem quin Silenus, qui praeterea totus in vino emendo occupatus existimandus est, ut non videat quid circa se agatur, haec verba fecerit, eam ob rem vehementer dubito, quod ille in sequentibus versibus de Ulixis ejusque sociorum salute timet, de suis rebus nihil timet (cfr. 195. Sil. *ἔσω πέτρας τῆσδ᾽* (sc. *χρὴ φυγεῖν*) *οὔπερ ἂν λάθοιτέ γε*) neque omnino incertus est, ut ex sequentibus patet, quid sibi faciendum sit. Itemque hic versus 193. ab Ulixe abjudicandus est. Quid enim? etiamsi non concederemus

[1]) Jahn's Jahrb. 113.

id quod Hermannus ait, Ulixem non ante visis Cyclopibus non potuisse scire Polyphemum esse, numquid Ulixes posset putari duobus versibus, qui alter alterum excipiunt (193. et 194.), fere idem loqui? *οἴμοι κτλ.*

194. *ἀπολώλαμεν γάρ, ὦ γέρον· ποῖ χρὴ φυγεῖν;*

Non modo Ulixem non minus quam Silenum in vino tradendo occupatum fuisse multo verisimilius est, sed etiam alterum versum (*ἀπολώλαμεν*) Ulixi magis convenire quam priorem per se intellegitur: chorus potuit dicere *τί δράσομεν*, Ulixes autem debuit nihil aliud vociferari quam *ἀπολώλαμεν*. Quod cum recentiores praeter Witzschelium et Wieszneruın perspicerent, plerique (etiam Kirchhoffius et Nauckius) versum 193. Sileni verbis adjecerunt, quae res cur mihi non probetur, supra exposui; G. Dindorfius autem jure Hermanni auctoritati obsecutus est. Quae vero causae sint, quibus adductus Wieszuerus unus versui 202.

ἄνεχε, πάρεχε, τί τάδε; τίς ἡ ῥᾳθυμία;

in codicibus recte Sileni nomen praescribi censeat, cum huic opinioni vehementer repugnent verba *τί τάδε κτλ.*, equidem assequi non possum. 'Si versus 203., inquit, Sileni esse negatur, me non satis intellegere confiteor, quomodo Cyclops bacchandi verbo possit uti.' Sed si verum esset quod contendit, *ἄνεχε, πάρεχε* imperativos, qui essent bacchantis vel cupiditate animi quadam affecti, hoc loco apte dici a Sileno, qui Ulixem ad majorem celeritatem cohortaretur, neque minus apte Cyclopem 203. interrogare *τί βακχιάζετε;* nonne illud, quod Cyclops his Sileni verbis auditis non hunc ipsum, sed chorum alloquitur et Silenum omnino posterius demum videt, perquam esset mirandum?

Dum Silenus omnia ex specu apportat, satyri Ulixem de Helena interrogant nominantque eam

v. 182. *τὴν προδότιν, ἣ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικίλους*
περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδοῦσα καὶ τὸν χρύσεον
κλῳὸν φοροῦντα περὶ μέσον τὸν αὐχένα
ἐξεπτοήθη, Μενέλεων ἀνθρώπιον
λῷστον λιποῦσα.

Rursus Wieszuerus necessitate non urgente, potius sententia reluctante ad conjecturam confugit. Si quis *ἰδοῦσα φοροῦντα τοὺς θυλάκους καὶ τὸν κλῳὸν* construat, verborum collocationem esse inusitatam recte intellegens, non continuo eam omnino non posse ferri debuit concludere. 'Euripidem, inquit, pro participio *φοροῦντα* aliud vocabulum scripsisse arbitror, qualis ille torques fuisset significans. Ego *φαροῦντα* proponam, quod vocabulum Hesychio teste idem significat quod *λαμπρύνοντα*.' Falli hoc loco Wieszuerum, non minus erravisse olim qui scripsit *φανόντα* Wakefieldum vel inde conici licet, quod sic clare dicendum erat, cujusnam collum et crura illis ornamentis, quibus attonita Helena reliquit conjugem, circumdata fuissent.

201. *ἀλλ' εἰ θανεῖν δεῖ, κατθανούμεθ' εὐγενῶς,*
ἢ ζῶντες αἶνον τὸν πάρος εὖ σώσομεν.

Versum 202. depravatum esse, cum neque *πάρος εὖ* neque *πάρος γ' εὖ* probari possit, nemo est quem fugiat; sed *πάροιθεν σώσομεν* aut *πάροιθ' ἐκσώσομεν*, quas conjecturas critici protulerunt in hunc locum, se recte habere haudquaquam crediderim. Equidem invenisse mihi videor quod et aptissimum est sententiae et facile in illud quod nunc legitur corrumpi potuit, scribendum existimans lenissima mutatione *συσσώσομεν* (cfr. Helen. 1389. *σωθέντες αὐτοὶ καὶ σὲ συσσῶσαί ποτε*). Ud. de Wilamowitz (An. Eur. pag. 207.), offendens maxime in *ζῶντες*,

quod nequeat significare 'superstites', huic versui obelum praefigit, quoniam Byzantinus stupor eum excogitaverit. Sed qui Sileni verba v. 195. *(ἔσω πέτρας τῆσδ', οὗπερ ἂν λάθοιτέ γε)* et 197. *(οὐ δεινόν· εἰσὶ καταφυγαὶ πολλαὶ πέτρας)* memoria tenebit, Ulixem concedet post v. 201. *ἀλλ' εἰ κτλ.* pauca debere ad hunc fere modum addere: 'aut non morientes gloriam quoque pristinam conservabimus'. Cur igitur hic versiculus inter languidos et elumbes numerandus sit, ego quidem intellegere non possum. *ζῶν* autem eodem modo dictum est Heraclid. v. 1051. *μὴ γὰρ ἐλπίσῃς, ὅπως αὖθις πατρῴας ζῶν ἔμ' ἐκβαλεῖς χθονός.*

In v. 245. jampridem egregie persanato Wieszneruѕ, ut assolet, novam excogitavit scripturam. Legimus enim

v. 244. *πλήσουσι νηδὺν τὴν ἐμὴν ἀπ' ἄνθρακος*
θερμὴν ἔδοντος δαῖτα τῷ κρεανόμῳ,
τὰ δ' ἐκ λέβητος ἑφθὰ καὶ τετηκότα κτλ.

Cum Musgravius palmari conjectura, ab omnibus cupide recepta, ita corrigat, ut *δαῖτ' ἄτερ κρεανόμου* (pro quo Dobraeus mavult *κρεανόμων*) proponat, tamen Wieszneruѕ *τῷ κρεῶν νόμῳ* praferendum censet, ex quo etiamsi ea quam ille putat sententia exprimi posset 'nach Art und Beschaffenheit der Fleischstücke' (putavi, inquit, Cyclopem hoc loco carnium genera, quae devoraturus sit, distinguere), tamen *ἔδοντος τῷ κρεῶν νόμῳ* jam ante *ἀπ' ἄνθρακος* collocandum erat, in hunc fere modum: *ἔδοντος — νόμῳ τὰ μὲν ἀπ' ἄνθρακος θερμά, τὰ δὲ κτλ.* Quod cum a poeta non sit factum, Musgravius locum recte restituit.

Ne alio quidem loco Wieszneri judicium sequi possum. Vociferatur Silenus

v. 261. *ἐγώ; κακῶς γὰρ ἐξόλοι'* (h. e. *ἐξόλοιο*).

Interpretes negantes *γάρ* in exclamationibus inveniri alii inciderunt in alias conjecturas, quas veri quandam speciem prae se ferre nemo erit quin libenter fateatur. Sed cum apud Aeschyl. Ag. 207. quod legimus *εὖ γὰρ εἴη* a nullo in dubium vocetur, nihilo magis est cur offendatur in his Euripideis verbis. Nullo autem pacto accesserim ad Wieszneri opinionem, qui Euripidem sic scripsisse contendit: Sil. *ἐγώ; κακῶς γὰρ ἐξόλοιτ'* — Ul. *εἰ ψεύδομαι.* 'Silenus, inquit, dicturus est: *κακῶς γὰρ ἐξόλοιτ' ἐμὸν δέμας* s. *χεὶρ ἐμή*, sed Ulixes in hominem tam mendacem vehementer inflammatus verbis ejus obloquitur in se detestationem referens, si mentitus sit.' Ulixem Sileni verba tam male intellexisse quis est qui credat?

Etiam in v. 265. sine ulla causa viri docti haeserunt. Dicit Silenus:

262. *μὰ τὸν Ποσειδῶ τὸν τεκόντα σ', ὦ Κύκλωψ,*
μὰ τὸν μέγαν Τρίτωνα καὶ τὸν Νηρέα,
μὰ τὴν Καλυψὼ τάς τε Νηρέως κόρας
μά θ' ἱερὰ κύματ' ἰχθύων τε πᾶν γένος.

In extremo versu cum Hermannus, affirmans se neque qui *μά τε* dixerit nosse, neque *ἱερὰ κύματα* sine articulo dicta credere, pro eo quod est *μά θ'* ingeniose scripserit *τὰ θ' ἱερά*, Hartungius hanc conjecturam recepit in editionem suam, Wieszneruѕ autem novam addidit: sed nihil est mutandum. Etiamsi enim *μάτε* alibi non inveniri concedimus, num quid est causae cur credamus poetas hoc omnino non potuisse dicere? cumque *ἰχθύων τε πᾶν γένος* careat articulo, quidni Euripidi liceat nullo addito articulo scribere *ἱερὰ κύματα?* Accedit quod *μά* hoc loco bene quater per *ἐπαναφοράν* repetitur et a poeta de industria Trito et Nereus, Calypso et Nereides, sacrae undae et totum piscium genus inter se artius conjunguntur, non bene conjunctae appellari possunt Calypso et Nereides et sacrae undae et pisces. Quare

τά θ' reiciendum est. Quod autem Wieszнerus, cum haec verba ad Nereidum domicilia pertinere arbitretur verisimile, *καθ' ἱρὰ κύματ'* scribi vult: 'per Calypso et Nerei puellas in sacris fluctibus et piscium totum genus juro', haec conjectura, quamvis ipsa quoque a vulgata paulum recedat, etiam minus satisfacit. Nam si ita scriberetur, nullo modo ad *ἰχθύων τε πᾶν γένος* ex superioribus intellegi posset *μά*.

Nihil aliud de iis statuendum erit, quae ab eodem Wieszнero proponuntur in v. 273. et 274.

ἔγωγε τοῦδε τοῦ Ῥαδαμάνθυος
πολλὰ πέποιθα καὶ δικαιότερον λέγω.

Non solum *τοῦδε*, quod Canterus in *τῷδε* mutavit, sed etiam *πολλά* removendum erat, pro quo Matthiae *πλείω*, Hermannus *πλέον* scribendum suspicatus est. Kirchhoffius autem vere vidit *μᾶλλον* reponendum esse, quod ad codicis scripturam haud dubie proxime accedit. Sed Wieszнerus, suorum inventorum nimius amator, Stephani, quem conjecturis suis falso codicum fidem praetendisse scimus, dubia adnotatione permotus consultius ducit legere *τόνδε* et *πόλλ' ὡς πέποιθα*: quibus conjecturis nihil perversius esse credo vix opus esse demonstratione. Tale enim loquendi genus permirum esset ac prorsus inauditum.

288. *μὴ τλῇς πρὸς ἄντρα σοὺς ἀφιγμένους φίλους*
κτανεῖν βοράν τε δυσσεβῆ θέσθαι γνάθοις·
οἳ τὸν σόν, ὦναξ, πατέρ' ἔχειν ναῶν ἕδρας
ἐῤῥυσάμεσθα γῆς ἐν Ἑλλάδος μυχοῖς.

Nulla cogente necessitate editores mutare conati sunt verba *σοὺς ἀφιγμένους φίλους*. Atque Hermannus, versus 252. *(οὐκ) ἄλλοι πρὸς ἄντρα τὰ σά γ' ἀφίκοντο ξένοι* (in quo codex *τά σ'* praebet, L. Dindorfius autem *τὰ σά γ'* emendat) recordatus, quoniam *ἄντρα* certiore descriptione opus habeat neque hi Graeci amici Cyclopis possint nominari, quamvis ut amici venerint ad Cyclopem, scribendum conicit *πρὸς ἄντρα τὰ σά γ' ἀφιγμένους φίλους*: Kirchhoffius contra in editione majore contendit *φίλους* glossatoris manum redolere et *ξένους* reponi jubet, quod quamquam ab auctore ipso in altera editione desertum omnes recentiores recipiendum putaverunt. Sed Ulixes, cum se Neptuni, cujus filius est Cyclops, templa barbarorum injuria prohibuisse et totius Graeciae, ergo Cyclopis quoque (v. 297. *ὧν καὶ σὺ κοινοῖ*) gloriam conservasse sequentibus versibus exponat, cur non possit dicere se amicum venire, sanam rationem reperire non possum. Immo vero nihil nisi *φίλους* recte se habet, cum versus 290.—298., quibus Ulixis in Neptunum et Cyclopem ipsum merita narrantur, haud dubie hujus verbi *(φίλους)* explicandi causa additi sint, et Cyclops, qui statim Ulixi respondet, haec ipsa, quae Ulixes sermonis initio de meritis suis profert, primis verbis suis manifesto refutare conetur v. 318: *ἄκρας δ' ἐναλίας, ἃς κάθ' ἵδρυται πατήρ, χαίρειν κελεύω· τί τάδε προὐστήσω λόγῳ;* h. e. 'non est quod his arcibus conservatis mihi gratum fecisse credas'. De hospitibus *(ξένοι)* excipiendis uterque eorum extremo demum sermone loquitur. Praeterea si v. 288. *ξένους* se recte haberet, omnes illi versus (290—298) sententias inter se cohaerentes vehementer interrumperent. Si igitur *φίλους* retinemus, tamen neque *τὰ σά γ'* neque *σού γ'* neque *σὰ τάδ'*, quae omnia proposita sunt a criticis, in hunc versum recipere opus est; itemque vix habet, quo se commendet, correctio Dindorfii, qui quamquam *ξένους* amplexus pro *σούς* restituendum monet *ταῦτ'*, quod fortasse in v. 252. a Barnesio recte conjectum erat, hoc autem loco aperte repudiandum est. Vehementer enim falli mihi videtur Hermannus, cum dicat

'si hi Graeci ut amici ad Cyclopem venerunt, non venerunt ut amici Cyclopis'. Cujusnam, quaeso, nisi Cyclopis? Cur non potest fieri ut Ulixes dicat 'venimus, amici tui, cum patrem tuum (τὸν σόν v. 290. videtur ad σούς respicere) et te ipsum tutati simus'? σούς igitur quamquam redundare videtur, tamen non delendum est; ἄντρα autem, cum identidem superioribus versibus Cyclopis specus nominatus sit, omnino non indiget attributo. Quid multa? nihil est mutandum. Witzschelius solus, quod quidem videam, vulgatam retinuit in editione sua. Stephanus, fortasse in errorem inductus codice C, qui exhibet εἰρυσάμεσθα, e sua conjectura scripsit ἱδρυσάμεσθα, quod quamquam Matthiae jure dicit se dubitare an simili locutione defendi possit, tamen Nauckius in secunda sua editione et Wiesznerus, censentes huic versui oppositum esse illum, quem infra legimus (318.) ἄκρας δ' ἐναλίας, ἃς κάϑ' ἵδρυται πατήρ, χαίρειν κελεύω, unice verum esse existimarunt. Sed tametsi Euripides, ut saepius alibi, in hac quoque fabula aliquotiens in componendis diverbiis versuum aequabilitati studuit et hoc quoque loco fortasse olim idem versuum numerus in Ulixis sermone videtur fuisse qui Cyclopi datur (Hartungius postulat ut lacuna post v. 295. indicetur), tamen ἃς κάϑ' ἵδρυται, pro quo Wiesznerus et Nauckius nullo jure καϑίδρυται, quod est in codice, retineri volunt (qua de re quid sit judicandum videamus posterius), ad nullum aliud verbum quam ἔχειν respicere putandum est. Praeterea, ut Matthiae recte observavit, Graeci qui Trojam expugnaverunt Neptuno templa ἱδρύσασϑαι dici non possunt.

Similiter res se habet in v. 299:

νόμοις δὲ ϑνητοῖς εἰς λόγους ἀποστρέφῃ
ἱκέτας δέχεσϑαι.

Musgravius cum hunc magna ex parte, coniciens νόμος δὲ ϑνητοῖς, εἰ, feliciter emendaret, vehementer in eo lapsus est, quod ἀποστρέφῃ depravatum censebat ex ἐπιστρέφῃ, quod quamvis ab Hermanno improbaretur, tamen pauci tantum ad hujus sententiam accesserunt, plerique Musgravii judicium cupide secuti sunt. Quorum utri recte fecerint, haud facile est decernere. Sed hoc quidem fugiet neminem, illos qui v. 288. ξένους praeferunt non aliud posse scribere quam ἐπιστρέφῃ, quoniam sic duae hae sententiae arte inter se cohaerent omniaque quae inde a v. 290. usque ad 298. leguntur per parenthesin interposita putanda sunt. Haec enim esset sententiarum ratio: 'noli nos occidere, qui hospites tui sumus; potius lex est mortalium, siquidem rationem (fortasse praestaret Herwerdeni conjectura εἰ νόμους ἐπιστρέφῃ) respicis, ut naufragi adjuventur, donis hospitalibus afficiantur, remittantur in patriam'. Si autem illo loco φίλους non reicimus, Ulixes hoc versu 299. ad novam rem transit, neque dubitandum est quin εἰ λόγους ἀποστρέφῃ germana sit scriptura. Ita enim omnium horum versuum sententiae hoc modo bene se excipiunt: 'Noli nos interficere, qui amici tui simus, quoniam non solum templa patris tui defendimus sed etiam totam Graeciam tutati sumus teque ipsum, qui Graeciae angulum habitas. Quod si nihil apud te valet, si nos amicos tuos esse multaque tui commodi causa fecisse non credis, si verba tibi nullius sunt momenti, respicias quaeso communem hominum legem de naufragis, qui victu donisque hospitalibus adjuti in patriam ad parentes uxoresque remitti solent'. Ego quidem, cum hac ratione omnes sententiae apte inter se conectantur, cum praeterea illa quam statuunt tot versuum interpositio vix ferri posse videatur, ut v. 288. φίλους ita hic ἀποστρέφῃ unice verum esse pro explorato habeo. Quod Wiesznerus legendum suspicatur τίς λόγους ἀποστρέφῃ; neminem opinor calculo suo probaturum esse, neque melius facient judicium critici de conjectura, quam Spengelius proponit

νόμους δὲ θνητοὺς κεἰς λόγους ἀποστρέφον, nisi si quis enuntiati structuram parum recte perspexerit. Non minus cum Wiesznero discrepo in eo, quod *νόμοι δὲ θνητοῖς* legi mavult, quandoquidem in hoc Ulixis sermone verba respicienda sint, quae postea Cyclops faciat, atque hic v. 338. respondeat *οἳ δὲ τοὺς νόμους ἔθεντο — κλάειν ἄνωγα*. Quid enim? de naufragis num credit complures leges fuisse? Si quicquam ex hoc Cyclopis versu (338.) concludi potest, illi qui v. 299. *ἐπιστρέφῃ* anteponunt Herwerdeni sententiam amplectendam esse intellegent, nihil ibi probari posse nisi *εἰ νόμοις ἐπιστρέφῃ*.

v. 295. *τά θ' Ἑλλάδος*
δύςφρονά γ' ὀνείδη Φρυξὶν οὐκ ἐδώκαμεν.

Jure Wieszнerus versus 292—295. *(ἱερός τ — καταφυγαί)* explicandi causa additos et sermonem quasi incidentes parenthesis signis circumscribendos esse judicat; certe nullo modo cum subsequentibus conjungi possunt. Post v. 295. *(Ἑλλάδος)* autem ut Hartungium, cui assentiuntur etiam Dindorfius et Paleius, lacunam recte indicavisse credam, tantum abest ut contra in eo qui sequitur versu *οὐκ ἐδώκαμεν*, quod significare illud quidem potest 'non condonavimus' (cfr. Demosth. de coron. 139. *δότε δ', εἰ βούλεσθε, δότε αὐτῷ τοῦτο)* sed eam quae hoc loco necessario postulatur sententiam non praebet (indigemus enim graviore verbo), a librario depravatum censeam. Quare cum eae, quas Musgravius *(ἀντεδώκαμεν*, quod alia significatione usurpari ex Eur. Electr. 957. *ἔπραξε δεινά· δεινὰ δ' ἀντέδωκε σοί* manifesto apparet) et Wieszнerus *(οὐ λελοίπαμεν)* protulerunt conjecturae ferri non possint, cumque *ἐξεπράξαμεν* a Kirchhoffio commendatum a traditis verbis longius absit, nescio an facili mutatione restituendum sit *ἐκτετίκαμεν* (etiam Phoen. 1653. ab Hartungio pro *ἔδωκε* rescriptum est *ἔτισε*): 'Phrygibus pro illis quae Graeciae obiciebant probris gratiam retulimus', cfr. Herod. 3,47. *εὐεργεσίας ἐκτίνειν*, Eurip. Or. 453. *χάριτας πατρῴας ἐκτίνων ἐς οὕς σε δεῖ.* Perfecta et aoristos saepe conjungi, hodie vix est quod moneam. *δύςφρονά γ'*, cum non conveniat verbo quod est *ὀνείδη*, in apogr. Paris. altero fortasse recte mutatum est in *δύςφορά γ'*, quod Wieszнerus, censens Cyclopem haec respicere, mire illis verbis defendere studet, quae Polyphemus facit v. 343.: *(λέβης) ὃς ζέσας σὴν σάρκα δυςφόρητον ἀμφέξει καλῶς:* ubi jampridem *διαφόρητον* ab editoribus receptum esse in verborum ordinem scire debuit. Sed cum in codice C *δύσφρον' ὀνείδη* legatur, Kirchhoffius olim *δύςφροσιν* coniciens videtur verum divinasse.

v. 318. *ἄκρας δ' ἐναλίας, ἃς καθίδρυται πατήρ,*
χαίρειν κελεύω· τί τάδε προὐστήσω λόγῳ;

Hunc versum quamquam Hermannus, *κάθ' ἵδρυται* scribens, aperte emendavit (cfr. Hippolyt. 634. *κατ' οἶκον ἵδρυται γυνή*), tamen quidam in vulgata acquiescendum judicant. Recte sane Wieszнerus Ulixis verba a Cyclope refelli ait, non recte mihi videtur statuere *καθιδρύεσθαι* 'solitam condendi, exstruendi significationem' habere. Alia est res Iph. Taur. 1481. *καθιδρύσαιντ' εὐτυχῶς βρέτας*. Cum Ulixes antea se cum Graecis Neptuno templa sua incolendi potestatem fecisse dixerit, Cyclopem nihil aliud respondere verisimile est quam hoc: 'arces marinas, quas pater incolit (*ἃς κάθ' ἵδρυται* igitur pertinet ad *ἔχειν* v. 290.) valere jubeo'. Si autem Stephanus, ut contendit Wieszнerus et olim Nauckius, v. 291. recte conjecisset *ἱδρυσάμεσθα*, certe permirum esset, quod illo loco Graeci Neptuno templa condidisse, hoc autem Neptunus ipse hanc rem suscepisse diceretur. Deus omnino non potest dici templa sua condidisse. Hermannus igitur, cum *καθιδρύεσθαι* positum vi considendi, quam sententia loci necessario efflagitat, plerumque cum *εἰς* aut *ἐν* conjunctum sit (aliter se habet *ἱδρύεσθαι*, cfr. Electr.

v. 1130. οὕτως ἀγείτον' οἶκον ἵδρυσαι φίλων), felici emendatione veram scripturam revocavit: quam cur Nauckius repudiet, ego quidem vehementer admiror. Etiam Lehrsius, qui vidisse sibi videbatur[1]) non solum Sophoclem, sed omnes tres tragicos praepositionum trajectionem vitare, hoc loco καθίδρυται retinendum esse contendit. Sed cum propter eandem rem in multos versus conjecturas recipiendas esse judicet, vix dubitari potest, quin vir doctissimus de hac re in magno versatus sit errore.

324. ἐν τῇδε πέτρᾳ στέγν' ἔχω σκηνώματα,
ἢ μόσχον ὀπτὸν ἤ τι θήρειον δάκος
δαινύμενος, ἐν στέγοντι γαστέρ' ὑπτίαν,
ἐπεκπιὼν γάλακτος ἀμφορέα, πέπλον
κρούω, Διὸς βρονταῖσιν εἰς ἔριν κτυπῶν.

Hi versus corruptissimi, de quibus quid sentiam paulo brevius nuper alio loco[2]) demonstravi, usque ad hoc tempus a criticis frustra temptati sunt. Ac primum quidem neque Scaliger εὖ στέγων τε coniciens, neque Reiskius εὖ τέγγων τε scribi jubens poetae verba hoc modo ad sanitatem revocari editoribus atque interpretibus persuadere potuerunt, quod cum illius conjectura ea quae antecedunt (στέγν' ἔχω σκηνώματα), cum Reiskii versus 327. (ἐπεκπιὼν γάλακτος ἀμφορέα) vehementer pugnare videtur. Neque vero magis probari potest id quod olim Jacobsius legendum censuerat εὖ στένων τε (h. e. ventrem resupinum implens carnibus), non solum quod non στένω sed στείνω idque apud Homerum atque illos qui ejus vestigiis ingrediuntur hac significatione usurpatur, sed etiam quod ἢ μόσχον — δαινύμενος et εὖ στένων τε fere idem designant, praeterea εὖ juxta στένων redundat. Miror igitur fuisse cui Jacobsius videretur verum vidisse. Denique ne id quidem quod Fixius proposuit ἐκτείνων τε recipiendum est, cum praesens tempus verbis quae sequuntur ἐπεκπιών et κρούω, quibuscum multo melius conspiraret ἐκτείνας, nullo modo conveniat. Multo etiam major est difficultas in verbis πέπλον κρούω adhuc a nullo sic mutatis, ut nulla dubitatio relinquatur. In quibus corrigendis et explicandis cum inde a Musgravii temporibus viri docti magnum studium multamque operam collocaverint, eo magis admiror quod Weckleinus πέπλον κρούω defendere studuit proxime his verbis[3]): 'Ne quis hoc salibus comoediae Graecae parum adsuetus magis candide accipiat quam Cyclops de se carne lacteque nimis completo dicit, audiat Strepsiadem apud Aristophanem Nub. 293. etqs. idem verbis minus ambiguis pronuntiantem'. Sic Weckleinus, sed res est alia. Strepsiades, cum Socrates nubibus invocatis eum interroget, num jam tonitru audiat, haec respondet:

καὶ σέβομαί γ', ὦ πολυτίμητοι, καὶ βούλομαι ἀνταποπαρδεῖν
πρὸς τὰς βροντάς· οὕτως αὐτὰς τετρεμαίνω καὶ πεφόβημαι.

Idem a Strepsiade dici atque hic a Cyclope ego quidem non video. Sane quidem uterque se caelum divinasque res contemnere affirmat, sed Cyclops praeterea cum Jove quasi in certamen descendere vult, ut sese non minus clarum crepitum edere posse demonstret quam illum: quod Strepsiades non vult. Accedit quod dubitandum est, num κρούειν πέπλον idem sit atque ἀποπαρδεῖν. Quoquo modo res se habet, vel in hoc vir doctus offendere debuit.

---

[1]) vid. Jahn's Jahrb. 1862.
[2]) cfr. Philol. XXXVII, Bd. 1 pag. 172.
[3]) cfr. ejus Curae criticae, Jahrb. 1877.

quod participium praesentis (*εὖ τέγγων τε* sive *ἐκτείνων τε*) cum *πέπλον κρούω*, pro quo praeterea gravius verbum desideraremus, omnino non potest conjungi. Weckleini igitur interpretatio, ut mea fert opinio, reicienda est. Alii, quos Hartungius fortasse vere judicare credit, obscenam illam extuderunt significationem, quam in Catulli carm. 32. v. 10. inesse scimus (eandem sententiam habet Wilamowitz-Moellendorff in Anal. Eur. pag. 228.); quod si recte facerent, quid sibi vellent verba *Διὸς — κτυπῶν*, quoniam *κτυπεῖν* nunquam idem significat quod *ἀποπαρδεῖν*, nemo intellegere posset. Praeterea cur nive cadente intermittit *κρούειν πέπλον?* Musgravius rursus conjecit *πέδον κρούω* 'terram pedibus pulso i. e. salto, tripudio', quod a Matthiaeo haud improbatum Dindorfius recipere non dubitavit. Contra vero Hartungius saltationem non posse cum tonitru comparari recte monuit; et qui sive inter cenam sive postea *γαστέρ' ὑπτίαν* habet, idem statim saltare sine dubio fastidiet. Quod autem Hartungius ipse pro vero habet *πίθον κρούω*, vel eo nomine displicet, quod duae illae voces quae sunt *ἀμφορέα* et *πίθον*, quas Hartungius vult idem significare, altera juxta alteram positae haud exiguam movent suspicionem. *εὖ τέγγων τε*, quod idem Reiskium secutus amplectitur, non modo in *τέγξας* mutandum esset, sed etiam cum sequentibus (*ἐπεκπιὼν γάλακτος ἀμφορέα*), quibus non potest significari repetita quam ille censet potatio, vehementer pugnaret. Verisimilius esset quod Wiesznerus proponit *πέτρον*, si omnino *πέπλον* removendum esset. Ego enim illis conjecturis desertis, praesertim cum *ἐπεκπιὼν — ἀμφορέα* sine dubio reliquis verbis interpositum sit, nihil ad sententiam accommodatius videri credo quam haec:

εὖ στέγω τε γαστέρ' ὑπτίαν,
ἐπεκπιὼν γάλακτος ἀμφορέα, πέπλῳ,
κορμῷ Διὸς βρονταῖσιν εἰς ἔριν κτυπῶν.

Quod enim critici Scaligerum non bene conjecisse *εὖ στέγων τε* concluserunt ex verbis quae praecedunt *στέγν' ἔχω σκηνώματα*, videntur mihi in argutias delapsi esse: certe *εὖ στέγω τε* se bene habet. Sic enim gradatio quaedam evadit in his verbis Cyclopis, qui ut se Jovem, sive pluviam sive grandinem demittat, nihil curare ejusque vim plane refringere posse demonstret, haec fere dicit: 'si pluat, se solido antro suo tectum aut vitulum assum aut aliquam feram cenare, et postquam ventri satisfecerit atque recubuerit (quod facere solitum esse post cenam confectam ex v. 409. *ἐπεὶ δ' ἑταίρων τῶν ἐμῶν πλησθεὶς βορᾶς ἀνέπεσε* clare perspicimus), lactis amphora insuper epota, se corpus pallio tegere; sin autem frigus aquilone augeatur et fundatur nix, se non solum pellibus ferarum corpus circumdare sed etiam ignem facere'. Quare *πέπλῳ* legendum et cum *εὖ στέγω* construendum est. *πέπλον* videtur aut ex *πέπλοι* (ut Heraclid. 409. pro *κόρῃ* libri *κόρην* et v. 930. pro *τῷδε* exhibent *τῶνδε*) aut inde profectum esse, quod *κρούω*, depravatum ex *κορμῷ*, proxime subsequitur. Reliquum est ut de *κορμῷ* pauca adjungam. Qua ratione Cyclops cum Jove tonitrante certare putandus est, nisi stipite crepitum edens, quem aut aliis stipitibus aut saxo impingit? Talium stipitum vel truncorum fuisse in saxeo specu tantam copiam, quantam vix tria plaustra capere possent, diserte narrat Ulixes v. 383:

ἀνέκαυσε μὲν πῦρ πρῶτον ὑψηλῆς δρυὸς
κορμοὺς πλατείας ἐσχάρας βαλὼν ἔπι,
τρισσῶν ἁμαξῶν ὡς ἀγώγιμον βάρος.

Quin etiam, cum ad ignem semel accendendum tot stipites Cyclopi opus essent, sine controversia multo plures humi jacebant. De structura *κτυπεῖν κορμῷ* (quod verbum tali modo corrumpi potuisse nemo erit qui non concedat) satis habeo Aristoph. Eccles. 545. *κτυποῦσα*

τοῖν ποδοῖν καὶ τοὺς λίθους παίουσα τῇ βακτηρίᾳ commemorasse. Sententia autem, quae hac scriptura exprimitur, optime se habet, nisi quod ex nostrae linguae ratione *καὶ δαίνυμαι* exspectes pro *δαινύμενος*, quo ex participio (ut saepenumero neglegentius adhibito) causa videtur repetenda esse, cur *εὖ στέγω τε* in *εὖ στέγων τε*, hoc autem in *ἐνστέγοντι* mutatum sit.

v. 334. *ἁγὼ οὔτινι θύω πλὴν ἐμοί, θεοῖσι δ' οὔ,*
καὶ τῇ μεγίστῃ γαστρὶ τῇδε δαιμόνων.

Fuerunt qui in his verbis haererent et difficultates quae non insunt removere studerent. Ut enim aliis haud sane paucis locis hujus fabulae sanissima verba inutilibus conjecturis temptata atque convulsa sunt, sic quidam in hoc quoque versu ingenii sagacitate abusi codicis auctoritate posthabita poetae verba suo arbitratu scribere conati sunt. Nam omnes fere praeter Kirchhoffium et Nauckium de hoc loco dubitationem movent, impulsi auctoritate Hermanni, qui hac scriptura quem conveniret numerum praeberi negans *οὔτινι* vitiose scriptum existimavit pro *οὔτι*, quod Hartungius sententiae causa recipi jubet. Quorum uterque fallitur. Etenim cum anapaestus Cyclopis orationi conveniat (de secundo trimetri pede cfr. v. 269.), metrum profecto nihil dat offensionis; quod autem in sententia haerent critici (etiam Dindorfius et Paleius praeferunt *οὔτι*), equidem satis mirari non possum, cum non modo *οὔτι* ab *οὔτινι* paene nihil differat, sed etiam, quod neminem fugere potest, *θεοῖσι δ' οὔ*, non *οὔτινι* insolenter additum sit. Neque tamen, cum interpositis hujusmodi verbis res majorem habeat vim, offensionem affert. Jam eosdem fere criticos sollicitat vocabulum quod est *ἁγώ*, quod verentur ne ab aliena manu importatum sit. 'Qui sententiarum, inquit Wiesznerus, accurate consideraverit rationem, is facile intelleget vitium non modo in *οὔτινι*, sed etiam in *ἐγώ* quaerendum esse, cum pronomen vocabulis *ἐμοί* et *θεοῖσιν* oppositis abundet, particula autem desideretur, qua Cyclops hanc sententiam e priore sequi demonstret. Itaque scribere malim: *οὕτω τίνι θύω'*. Sed cum *οὔτινι*, ut vidimus, mutandum non sit, *ἐγώ* autem Cyclopem de se arrogantius loquentem et vires suas de industria exaggerantem haud dedeceat (idem v. 320. dicit *Ζηνὸς δ' ἐγὼ κεραυνὸν οὐ φρίσσω, ξένε*), cum praeterea *οὕτω* maximeque *τίνι* pronomen jam a Barnesio conjectum propter verba inserta (*θεοῖσι δ' οὔ*) improbabile sit, non dubito quin ille ut alii hoc in loco inutilem consumpserit laborem. Non magis, praesertim cum synizesis quam hic invenimus similibus exemplis defendi possit (cfr. v. 172. *ἐγὼ οὐκ ὠνήσομαι*), commendabilis est Paleii conjectura, Dindorfio probata, *τὰ δ' οὔτι θύω*, quam certe omnes ii abicient, qui sibi revocaverint in memoriam Androm. v. 35. etqs.

ἐκβαλοῦσα λέκτρα τἀκείνης βίᾳ·
ἁγὼ τὸ πρόσθεν οὐχ ἑκοῦσ' ἐδεξάμην,
νῦν δ' ἐκλέλοιπα.

Wilamowitz, quia Cyclops se hoc loco non numerat ipse inter deos, conicit *θύω πλὴν ἐμοῖς θεοῖς, ἰδού, κτλ.* 'Lenissima, inquit, mutatio qua ventri alterum deum addidi, istum qui quando Cyclops satur supinus jacebat tunicamque palliumque pertundebat'. Respici igitur credit ad verba illa (v. 327.) *πέπλον κρούω*, quae num obscenam habeant significationem, ut supra demonstravi, vehementer dubitandum est. Sed si vir doctissimus de versu 327. vere judicaret, cum sic venter ut deus postea demum adjungatur, hoc loco nihil aliud quam *ἐμῷ θεῷ* exspectaremus. Cyclopem plerumque putare se hominem esse intellegimus ex v. 579., ubi temulentus vociferatur:

τοῦ Διός τε τὸν θρόνον
λεύσσω τὸ πᾶν τε δαιμόνων ἁγνὸν σέβας.

v. 361. *μή μοι μὴ προδίδου·*
μόνος μόνῳ κόμιζε πορθμίδος σκάφος.

Hos versus ita scriptos intellegere se non posse plerique libenter profitentur. Hermannus contra hanc esse sententiam censuit: 'ne mihi prode haec, i. e. fac ne frustra haec apparaverimus: solus soli tibi confer hanc celocem: quod est, solus soli tibi inger quas nos aversamur carnes humanas'. Sed in priore versu, quam sententiam eruere studet, haec non inest vel potius, quod chorus nihil apparavit ad hanc cenam, inesse omnino non potest; in altero artificiosa et mira utitur interpretatione. *κόμιζε πορθμίδος σκάφος* credo significare 'cura ventrem tuum'; Weckleini igitur conjectura *γέμιζε*, quamquam non male videtur stabilita esse versu 505. *(σκάφος ὁλκὰς ὣς γεμισθεὶς ποτὶ σέλμα γαστρὸς ἄκρας)*, tamen vix opus est. Difficilior est v. 361. In quo vehementer labitur Guilelmus Hoffmann, qui[1]) Satyros putat Ulixem implorare, ut sibi longae servitutis praebeat effugium, atque haec legenda proponit: *μή μοι, μὴ προδιδοὺς μόνος κτἑ.* h. e. 'noli, obsecro, noli proditoris instar soli tibi salutem quaerere, sed me quoque tecum avehas'. Sed Ulixem, qui nondum adest et paulo posterius (cfr. v. 375.) ex antro prodit, chorus omnino non potest alloqui; accedit quod de effugiendi consilio ab Ulixe v. 427. demum edocetur. Weckleinus praefert Madvigii emendationem *μή μοι, μὴ προσδίδου*, quod quamquam a Wilamowitzio in codicibus inventum a metro vix probari potest; Hartungius scripserat *προσδοῦ*. Atqui chorus non deprecatur, ne Cyclops quicquam de carne humana sibi det, quoniam ille, qua est voracitate, choro certe nihil oblaturus fuerit. Quare et *προσδίδου* et *προσδοῦ* improbandum est. Mihi legendum videtur:

μή μοι, μὴ προσίδω·

h. e. 'ne mihi (sc. haec parata sint, id quod ex v. 357. facile audiri potest), ne haec videam'. De *προσιδεῖν* verbo cfr. Oedip. R. v. 175. Praeclare cum his ea quae sequuntur verba *μόνος μόνῳ* h. e. 'me non praesente' conveniunt.

v. 499. *ἐπὶ δεμνίοις τε ξανθὸν*
χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας
μυρόχριστος λιπαρὸς βό-
στρυχον, αὐδᾷ δὲ 'θύραν τίς οἴξει μοι;

Hic locus virorum doctorum ingenia graviter exercuit, cum *ξανθὸν* sine controversia corruptum sit. Quod cum Hermannus intellegeret neque praebere aptam sententiam neque metrum exaequare, tamen, ut ait Hauptius[2]), a vero aberravit, quod et alia temptat et *κάλλος* ponit, quo sententia qualis debeat his verbis exprimatur. Fortasse non minus recte idem Hauptius reiciendum putat, quod Dindorfius vere invenisse sibi visus est *ἐπὶ δεμνίοισί τ' ἄνθος*, sed his quas affert rationibus persuadere mihi non potest. 'Qui domum, inquit, amicae petit et ante eam vociferatur 'ecquis fores mihi aperiet?' is nondum amicam in lecto tenet: nihil enim obsceni latet in illo *θύραν τίς οἴξει μοι;*' Deinde concedens non posse se *ξανθὸν* certa ratione corrigere neque habere quo erroris originem explicet, tamen convenire opinatur carmini *τε θυμόν*. Sed chorum de eo loqui, qui domum amicae petat, quibus ex verbis concludi possit, ego perspicere nequeo; potius verba quae praegrediuntur (v. 497.) *ἐπὶ κῶμον ἐκπετασθείς* Hauptii opinioni plane adversantur, neque qui amicae desiderio captus est *μάκαρ* (495.) nominari debet. Quare non solum id quod de verborum *θύραν τις οἴξει μοι*, quae jam

[1]) Jahn's Jahrb. 1862.
[2]) Hermes VI, Conjectanea.

Musgravius recte interpretatus erat (accedit hujus opinioni nonnihil ponderis ex Aris . . Ecclesiaz. v. 990. ὅταν γε κρούσῃς τὴν ἐμὴν πρῶτον θύραν). sententia addit, nihil latere in . . obsceni, non credendum, sed etiam θυμόν vel simile hujus notionis vocabulum repudia... est. Quod autem Hartungius commendavit μασθόν, propter litterarum dissimilitudinem a... ineptam sententiam nihilo magis satisfacere potest. Quare dum melius proferetur, ad D... dorfii emendationem redeundum censerem, nisi huic toti loco longe alia ratione remedium s... carer adhibendum esse. Fortasse sub τε ξανθόν latet τ' ἐν ἄντρῳ. Desideramus enim haec ver .

ἐπὶ δεμνίοις τ' ἐν ἄντρῳ
χλιδανὴν ἔχων ἑταίραν,
μυροχριστὸς λιπαρὸν κτἑ.

Librarius nescio quis, ni fallor, pro ναντρωι scripsit ξανθόν, quod cum existimaret . . βόστρυχον construendum esse (ut Bacch. 235. aliisque sexcentis locis), quae res eo minus . . est, quod v. 501. non λιπαρόν sed λιπαρός in codicibus scriptum est (Scaligero demum ret... mus acceptum λιπαρόν), pro χλιδανὴν ἑταίραν, quem accusativum Scaliger ipse quoque rest... voluit, de industria videtur posuisse genetivum. Facile autem, praesertim N littera evan... facta, ex ΝΑΝΤΡΟΙ potuisse enasci ξανθόν, concedent qui v. 245. ἄτερ depravatum fuis... in αὐτῷ meminerint. Praeterea ἐν ἄντρῳ haud improbabile videtur propter versum . . δροσερῶν ἔσωθεν ἄντρων; illud contra vix credendum est, Graecos locutos esse ἄνθος χλιδ... ἑταίρας. Unum relinquitur: non θύραν τίς, sed, cum chorus amicam significet, θύραν τις, qu... Kirchhoffius, non Dindorfius Nauckius Hartungius in carminis verba receperunt, unice ver... esse ex 513. φίλος ὢν φιλεῖ τις ἡμᾶς aliisque locis colligi potest.

v. 512. λύχνα δ' ἀμμένει δάια σόν
χρόα χὼς τέρεινα νύμφα
δροσερῶν ἔσωθεν ἄντρων.

Haec verba misere lacerata quomodo restituenda sint haud facile dixeris. Nam is demum depravatas voces videri poterit correxisse, qui non tantum quod conveniat sententiae proposuerit, sed etiam lenissima usus fuerit mutatione. Sed quamquam multi emendationem quaesiverunt, tamen quod speciem aliquam haberet nemo protulit. Atque Hermannus litterarum vestigia secutus scribi jubet ἀμμένει διαὶ σὸν χρόα σ', ὡς κτλ., ut sententia sit 'lucernae te propter formam tuam exspectant; nam intus est in antro tenera sponsa': quod traditis ductibus satis respondens quam ineptum sit ad sententiam, neminem fugiet. Aliter Kirchhoffius, qui cum legendum suspicetur λύχνα σ' ἀμμένει· πελᾷ σὸν χρόα χρῷ τέρεινα νύμφα, huic conjecturae suae propterea fidem facere vix poterit, quod χρῷ hoc sensu nusquam alibi invenitur (aliud enim est ἐν χρῷ, quod Graeci frequentabant). Quamquam minus etiam placent quae Henricus Schmidt[1]) excogitavit λύχνα δ' ἀμμένει δαΐφρων κόρα ὡς, quae verba vix cuiquam probabuntur. Dindorfius rursus huic loco optime prospectum esse atque consultum duxit, si duo hi versus sic mutarentur: λύχνα δ' ἀμμένει πάλαι σόν χρό', ἄγ', ὡς, quae scriptura a Nauckio admissa est illa quidem, sed mea quidem opinione ab omni veri specie abhorret, quod non modo πάλαι ab hoc loco alienum, sed etiam num reapse ex χρό' ἄγ' ὡς, cum numquam a librariis γ (γε) ante spiritum asperum in χ mutatum sit, χρόα χὡς exoriri potuerit, omnino in dubium vocandum est (etiam Med. 499. invenimus ἄγ', ὡς). Hartungio contra

[1]) Hermes 6, pag. 383.

videbantur omnia satis correcta esse, si haec verba sic transponerentur: **λύχνα δάϊ' ἀμμένει σὸν χρόα,** deinde **χῶς** praeeunte Fixio mutaretur in **καί:** sed cum **λύχνα δάϊα** non idem quod **δαλός** significet, verborum trajectio nihil expedit. Denique Weckleinus, **ΔΑΙΑΣΟΝ** ex **ΔΑΙΔΟΝ** censens profectum esse, postulat ut restituantur haec: **λύχνα δ' ἀμμένει σε δᾴδων χρόα καὶ τέρεινα κτλ.,** quae verba specie quadam commendantur, sed ut arbitror fallaci. Licet enim vox quae est **λύχνα,** etsi **λύχνα** idem est atque **δᾷδες,** cum **δᾴδων** consociari atque in unam conjungi possit notionem: ambiguitas, quam chorus in his versibus ponere existimandus est, si **σε δᾴδων χρόα** scriberemus, aperte nulla foret. Si autem **σὸν χρόα,** quod idem valet atque **σέ,** retinemus, chorus sine controversia ambigue loquitur. Addo me **λύχνα (δᾷδες) ἀμμένει σε χρόα** dubitare an illis quae Weckleinus ex Cruegeri grammatica affert exemplis omnino defendi possit. Videmus enim in omnibus exemplis a Cruegero commemoratis vocabula, quae partem hominis designant, ut **νῶτον, πούς, χείρ, γόνατα, φρένες, καρδία** tali structura cum pronominibus conjuncta; **χρώς** autem (h. e. corpus) non partem, sed totum hominem significat. Nemo igitur in emendandis his verbis adhuc multum profecit. Veram autem sententiam primus videtur mihi vidisse Fixius, qui non solum pro **χώς,** quod ab aliquo frigido homine additum esset, cui **τέρεινα νύμφα** ita simpliciter de titione ardente dictum audacius videretur, **καί** reponendum recte arbitratus est, sed etiam in adnotatione critica haec scripsit: 'non displiceret **δάει** 'cum fulgore', si nomen **δάος** ab Graecis alio quam nom. aut accus. casu adhibitum fuisse constaret'. Quo nihil verius. Quare legendum conicio **σέλαι,** quod non solum primas hujus vocabuli litteras ultima antecedentis absumptas esse, sed etiam **ΛΑΙ** in **ΔΑΙ** et hoc, ut ad **λύχνα** accommodaretur, in **δάϊα** mutatum veri est simillimum (cfr. Helen. 865. **φέρουσα λαμπτήρων σέλας**). Ita igitur tres hi versus scribendi videntur:

> λύχνα δ' ἀμμένει σέλαι σὸν
> χρόα καὶ τέρεινα νύμφα
> δροσερῶν ἔσωθεν ἄντρων.

Si autem Dindorfius **χρόα χώς** vere mutaret in **χρό', ἄγ', ὡς,** suspiceris in **δάϊα** latere imperativum, cui vis intrandi subsit, ut **πέλα σὸν χρόα,** quem imperativum Hermannus, cum non aliud hujus praesentis exemplum ei succurrat, in adnotatione Oed. Col. versui 1060. adscripta reicit ille quidem, versum ex Plutarchi libro **περὶ ἀοργησίας** p. 457. C. a Reiskio allatum **βαῖνε λὰξ ἐπὶ τραχήλον, βαῖνε καὶ πέλα χθονί** censens emendandum esse ita ut legatur **βαῖνε, καὶ πελᾷ χθονί** (procumbet humi): sed si Aeschyl. Prometh. v. 282. **(καὶ νῦν) ἀκριοέσσῃ χθονὶ τῇδε πελῶ· τοὺς σοὺς δὲ πόνους χρῄζω διὰ παντὸς ἀκοῦσαι** recordatus esset, fortasse aliter judicasset. Legi igitur posset: **λύχνα σ' ἀμμένει, πέλα σὸν χρό', ἄγ'· ὡς τέρεινα κτλ.** Sed **σέλαι** et postea **καί,** quibus verbis sententiae praeclare satisfactum videtur, omnibus aliis anteponendum esse ego quidem persuasum habeo.

> v. 593. **δαλὸς δ' ἔσωθεν αὐλίων ὠθεῖ καπνόν.**
> **παρευτρέπισται δ' οὐδὲν ἄλλο πλὴν πυροῦν**
> **Κύκλωπος ὄψιν.**

παρευτρέπισται, ut nunc verba se habent, cum ei quae hic postulatur sententiae repugnet, cumque Ulixes sine dubio hoc dicat, omnia ad Cyclopem excaecandum parata nihilque aliud reliquum esse quam ut exuratur Cyclopis oculus, Nauckius et Kirchhoffius hunc locum ingeniosissime persanare conati sunt neque tamen difficultatem sustulerunt. De quorum conjecturis ita judico, ut illius emendationem **πᾶν εὐτρεπές· δεῖ δ'** magis verisimilitudine carere

arbitrer quam illud quod Kirchhoffius legendum censet πάντ' (fortasse πᾶν probabilius est) εὐτρέπισται κοὐδὲν. Sed ne hoc quidem commendari potest. Nam si recte se haberet, nova oreretur difficultas in ἄλλο. Ego in vulgata acquiescendum puto, cum omnia, modo recte explicentur, una littera mutata sana videantur. Jam Hartungius punctum post καπνῷ delendum et παρευτρέπισται cum praegressis conectendum esse intellexit, scribens καπνῷ, παρευτρέπισται δ', οὐδὲν κτλ.; sed nescio an satius sit ita mutare:

δαλός δ' ἔσωθεν αὐλίων ὠθεῖ καπνόν
παρευτρέπισταί τ', οὐδὲν ἄλλο κτλ.

Bene fecit Hartungius quod ante οὐδέν commate incidi jubet; sed quod idem οὐδὲν ἄλλο ut accusativum cum πυροῦν construendum esse contendit, me non habet assentientem, cum non dubitem quin οὐδὲν ἄλλο ut saepius elliptice usurpatum et πράσσειν vel simile quid intellegendum sit. Interpretor igitur: 'Titio fumum edit beneque a nobis apparatus est, eo tantum consilio ut exuramus Cyclopis oculum'. cfr. Androm. 745: σκιᾷ γὰρ ἀντίστοιχος ὢν φωνὴν ἔχεις, ἀδύνατος οὐδὲν ἄλλο πλὴν λέγειν μόνον. Plura hujus ellipsis usus exempla afferre vix opus fuerit.

608. λήψεται τὸν τράχηλον
ἐντόνως ὁ καρκίνος
τοῦ ξένων δαιτυμόνος· πυρὶ γὰρ τάχα
φωςφόρους ὀλεῖ κόρας.

His in versibus, quamquam Hermannus quid significet chorus paucis verbis clarissime demonstrat, Weckleinus aliquid vitii latere censet, id quod vix cuiquam probabit. 'Referuntur enim, ut ait Hermannus, omnia ad titionem, collumque tantummodo propterea nominatur quod ἀνθρωποφαγία Cyclopis punienda est'; chorus igitur figurata oratione nihil aliud dicit quam: 'mox Cyclops homines vorare desinet, nam celeriter igne lucidas amittet pupillas'. Eodem sensu invenimus ὀλεῖς Herc. Fur. 878. Contra ea Weckleinus, ut in altero enuntiato subjectum quod vocant habeat ὀλεῖ futuri, cui vim perdendi vel delendi attribuit, vocem ejusdem significationis, cujus καρκίνος est, ex alia eruendam censens πυράγρα τάχα proponit legendum, quandoquidem et γάρ pravum sit, et forceps collum comprehendere idemque oculum delere dici non possit. Sed fallitur vir doctissimus, ut vidimus. πυράγρα conjectura quid novi addatur, cum πυράγρα idem sit atque καρκίνος, aut quid fructus ex ea capiatur, ego quidem omnino intellegere nequeo. — Non magis in v. 617. ἀλλ' ἴτω Μάρων, πρασσέτω est quod offendas. Licet enim Kirchhoffius ingeniose conjecerit ἀλλ' ἴτ' ὦ, μόρον πράσσετ' ... tamen, quod chorus hoc loco Ulixem ejusque socios omnino non adhortatur ad difficilem illam rem perficiendam, nihil est mutandam.

Cum in omnibus aliis fabulis versus inveniantur interpolati, facile in eam adducimur sententiam, ut in Cyclope quoque unum alterumve spurium extare credamus. Certe v. 93. τὴν ἀνδροβρῶτα δυστυχῶς ἀφιγμένοι, quem uncis saepiendum esse primus Weckleinus vidit, ex interpolatoris manu profectus est; idemque de versibus 181. et 404. judicandum esse demonstravit Wilamowitz. Alia autem est res in v. 674., ad quem Dindorfius adnotat: 'fortasse versus totus, qui inutilis est, delendus'. Legimus enim:

v. 672. Cycl. Οὖτίς μ' ἀπώλεσ'. Chor. οὐκ ἄρ' οὐδείς σ' ἠδίκει.
Cycl. Οὖτίς με τυφλοῖ βλέφαρον. Chor. οὐκ ἄρ' εἶ τυφλός.
Cycl. ὡς δὴ σύ. Chor. καί πῶς σ' οὔτις ἂν θείη τυφλόν;
Cycl. σκώπτεις κτλ.

v. 674. quomodo interpretandus sit, editores inter se dissentiunt. Hermannus enim, ὥς scribens, vertit 'sic tu sis caesus', Fixius, quod nonnisi in certis quibusdam formulis tragici usurpent ὥς pro οὕτως, mavult ὥς δὴ σύ, quod reddit latine 'quomodo utinam tu sis', quae interpretatio fere eodem redit; sed procul dubio Hartungius Cyclopem recte perspicit haec irritatum pronuntiare 'ja gewiß, sowie auch du es nicht bist', sc. quod me excaecatum esse non vides. Chorus, sive ut verba ejus videatur perperam intellegere sive Cyclopis reconciliandi causa, addit: *καὶ πῶς σ' οὔτις ἂν θείη τυφλόν;* ad quae ille paulo placatior respondet: *σκώπτεις.* Quae omnia tam commode dicta sunt, ut neque versum uncis includendum, neque quod Kirchhoffius legi vult *ὀλῇ σύ* comprobandum censeam: non *ὀλῇ σύ*, sed *κλαυσεῖ* exspectares (longe aliter se habet *ὀλεῖ* Hippol. 329., ubi nulla minatio in verbo inest).

Paene de nullo loco editorum sententiae magis variantur quam de v. 685.

684. Chor. *καί σε διαφεύγουσί γε.*
685. Cycl. *οὐ τῇδ', ἐπεὶ τῇδ' εἶπας.* Chor. *οὐ ταύτῃ λέγω.*
Cycl. *πῇ γάρ;* Chor. *περιάγουσίν σε πρὸς τἀριστερά.*

Hermannus enim, quod v. 685. non plane perspicuus sit, versui 684. *διαφεύγουσί γε* adicit signum interrogationis, putans quaerenti choro, num eum effugiant, respondisse Cyclopem: 'non istic sunt: nam istic dicebas esse'; contra ea Fixius, Hartungius, Witzschelius vulgatam distinctionem retinent. Aliter rursus Kirchhoffius, Nauckius, Dindorfius, Weckleinus[1]), qui omnes inter se differunt signis, quibus poetae verba interpungere student. Kirchhoffius enim sic distinguit: *διαφεύγουσί γε.* Cycl. *οὐ τῇδ'; ἐπεὶ τῇδ' εἶπας.* Chor. *οὔ· ταύτῃ λέγω*, Dindorfius similiter neque tamen pari modo: *διαφεύγουσί γε.* Cycl. *οὐ τῇδ'; ἐπεὶ τῇδ' εἶπας.* Chor. *οὐ ταύτῃ λέγω*, Weckleinus autem *οὐ τῇδ'· ἐπεὶ τῇδ' εἶπας;* Nauckius, ut hic locus ad sanitatem reducatur, ad scripturae mutationem confugiendum esse censet, haec scribens: *διαφεύγουσί γε.* Cycl. *οὐ τῇδ' ἐπείγειν εἶπας;* Chor. *οὔ· ταύτῃ λέγω.* Ego nihil ex his totum comprobo. Sed illud videntur mihi Kirchhoffius et Nauckius recte vidisse, extremam versus 685. partem interpungendam esse *οὔ· ταύτῃ λέγω*, in reliquis autem ab eorum sententia discedendum credo. Neque enim, qui sententiarum rationem secum consideraverit, ad *οὐ τῇδ';* existimabit intellegi posse *εἰσίν*, id quod Kirchhoffius facere putandus est, neque *ἐπείγειν* a Nauckio conici opus erat. Minus etiam astipulor reliquis quos nominavi criticis: certe interrogationis signum post *εἶπας* ferri non posset, nisi *ἐπεὶ οὐ τῇδ' εἶπας;* scriberetur. Non male L. Spengelius *οὐ δῆτ', ἐπεὶ τῇδ' εἶπας* legendum proponeret, siquidem ad posterius *τῇδε* audire possemus *εἶναι.* Omnia bene procedunt, si ea, quae necessario requirit sententia, poetae reddimus:

Chor. *καί σε διαφεύγουσί γε.*
Cycl. *οὐ τῇδέ μ', εἰ τῇδ' εἶπας.* Chor. *οὔ· ταύτῃ λέγω.*
Cycl. *πῇ γάρ;* Chor. *περιάγου, κεῖσε, πρὸς τἀριστερά.*

Postquam enim Cyclops se cranium impegisse vociferatus est, chorus gaudium vix celans addit: *καί σε διαφεύγουσί γε* 'et praeterea te effugiunt', quod cum iis quae sequuntur verbis *περιάγου, κεῖσε, πρὸς τἀριστερά* (ut Nauckius verissime correxit) praeclare conveniunt, ita ut, praesertim cum chorus videat, Cyclops non videat, nihil pravius sit quam hic interrogandi notam ponere. Cyclops confidentius respondet: 'non hic me evadunt', addit autem, subito incertus num recte chori verba intellexerit: 'siquidem hoc loco illos me effugere dicis', tum

[1]) Zeitschrift für das Gymnasialwesen, 32. Jahrgang 1878.

chorus: *οὐ* (sc. *τῇδ' εἶπον*)· *ταύτῃ λέγω.* Sic omnia plana sunt. *τῇδέ μ' εἰ* autem perf… potuit mutari in *τῇδ' ἐπεί.*

Transeo nunc ad alias fabulas.

In **Phoen. versibus 816 — 819.**, quamquam Kirchhoffius, quod non sint integri tra-missi per libros, frustra eos conjecturis temptari judicat, tamen duos in integrum restitu-possumus adjuti scholiis. Quod priusquam suscipiamus, praeponendi sunt versus stroph. 797 — 800.:

ἀντίπαλον κατὰ λάϊνα τείχεα χαλκῷ κοσμήσας.
ἦ δεινά τις Ἔρις θεός, ἃ τάδε
μήσατο πήματα γᾶς βασιλεῦσιν,
Λαβδακίδαις πολυμόχθοις.

Antistrophici sunt hi:

816. *οὐ γὰρ ὃ μὴ καλὸν οὔποτ' ἔφυ καλόν*
οὐδ' οἱ μὴ νόμιμοι παῖδες
ματρὶ λόχευμα, μίασμα πατρός·
ἣ δὲ συναίμονος εἰς λέχος ἦλθεν.

Ad v. 797. adnotat Kirchhoffius: 'verba *χαλκῷ κοσμήσας*, quae sunt in libris omnib. licet nec sana sint, nec in antistropha exstent quae respondeant, male tamen ejecisse viden. recentiores auctoritatem secuti metrici codicis Kingiani; potius in antistropha lacunae si… ponenda curavi'. Et recte quidem, cum praesertim de hac re ob eam causam judicari n… possit, quod vetus explicator eădem quae hodie sunt in codicibus cum in stropha tum … antistropha ante oculos habuisse existimandus est. Qui cum interpretando paene verb… quae scripta sunt, ipsis utatur '*κοσμήσας χορὸν οὐ θυρσοφόρον, ἀλλ' ἀσπιδοφέρμονα, οὐ συνθασι… καὶ σύγκωμον χορόν, ἀλλ' ἀντίπαλον, οὐ κισσῷ κοσμήσας, ἀλλὰ χαλκῷ*' (addit: *εἰ δ' ἦν ἐπὶ Διονύσ… οὕτως ἂν ἔφη, θυρσοφόρον θίασον, σύγκωμον, κατὰ σύμφυτα ὄρη κισσῷ κοσμήσας κτλ.*): cur Hermann… Hartungius, Dindorfius putent eum non v. 797. interpretari, sed aliqua verba pro *Ἀργε… ἐπιπνεύσας* (794.) lecta, ego quidem intellegere nequeo. Non igitur scholiastae in v. 79… alia lecta sunt ac nobis. Eademque res est in v. 816. et 817., in quo Kirchhoffius, cum metro aliud postuletur vocabulum, merito illud in dubium vocat, num clausula versus (*παῖδε…*) genuina sit. Ob eandem autem causam, quoniam propter lacunam omnino nihil certi inveni… potest, permirum mihi videtur, quod idem hic vir doctissimus aliique Musgravio auctor *νόμιμον* reponendum censent. Neque magis Kirchhoffius, nisus scholiastae altera inter-pretatione '*οἵτινες παῖδές εἰσι τῇ μητρὶ λόχευμα, μίασμα δὲ τοῦ πατρός*', quae ut ego quidem arbitror nihil videtur esse nisi explicatio verborum *ματρὶ λόχευμα*, hoc loco fortasse *οὐδ' ὧ…* scribendum esse mihi persuadere potest. Potius nunquam haec verba certam medelam ad-mittent. Certiore autem ratione versus illi duo qui sequuntur corrigi possunt. In codicibus enim est *ἣ δὲ συναίμονος εἰς λέχος ἦλθεν*, pro quo Brunckius, mutato in stropha *Λαβδακίδαις* in *Λαβδακίδαισιν*, scripsit quod recentiores receperunt *ἣ δὲ σύναιμον λέχος ἦλθεν;* Kirchhoffius autem ex scholiastae interpretamento *ἣ* non scriptum fuisse in archetypo eumque qui alterum scholion addidit pro *ἦλθεν* legisse *ἦλθον* recte conclusit. Sed quod idem stropha paulum immutata antistropham refingi vult hoc modo: *ματρὶ λόχευμα, μίασμα, πατρὸς δὲ συν | αίμονος εἰς λέχος ἦλθον:* melius et rectius haec verba strophae accommodantur multoque aptior evadit sententia, si scribimus:

πατρὶ λόχευμα, μίασμα πατρός, σύν-
αιμον ὃς εἰς λέχος ἦλθεν.

Errant qui (ut Dindorfius) post *μίασμα* ex illo quod modo attuli scholio *δέ* particulam in haec verba inferendam arbitrentur, praesertim cum numeri repugnent; sed etiamsi *μίασμα δέ* aut *μιάσματα πατρός*, quod alii legendum censent, vera esset scriptura, tamen *ἡ δέ* hoc loco alienum esse vel inde manifesto apparet, quod illud piaculum modo patri attributum confestim Jocastae obiceretur. Dubitaverit autem quispiam, utrum quod codicibus exhibetur *ἦλθεν* retinens eam quam protuli conjecturam amplectatur, an *ἦλθον* plurali numero recepto praestet hunc locum interpretari ut altera scholiastae explicatio postulat: 'nam ex ipsorum fratris lecto prodierunt'. *'ἐκ λέχους τοῦ αὐτοῦ πατρὸς καὶ ἀδελφοῦ ἐλθόντες εἰς φῶς· ἵν' ᾖ τὸ σύναιμον* (vel potius *συναίμονος* cfr. Kirchh.) *ἀντὶ ἀδελφοῦ, τὸ δὲ εἰς λέχος ἀντὶ ἐκ λέχους'.* Sed cum *εἰς λέχος ἐλθεῖν* alibi nusquam idem valeat quod *εἰς φῶς ἐλθεῖν*, cum praeterea *συναίμονος* posterioris Graecitatis sit, priorem scholii partem, qua interpres *ἦλθεν* explicare studet, ad veram scripturam indagandam plus conferre mihi persuasissimum est. *'οὐ καλὸν οὖν, φησί, γέννημα, ἀλλὰ κατάρατον, παῖς τῆς τοῦ πατρὸς καὶ μητρὸς ἐπιβαίνων εὐνῆς· συναίμονα γὰρ εἶπε τὸν πατέρα τοῦ παιδός, ἐπειδὴ ἐξ ἑνὸς αἵματος ὁ παῖς τῷ πατρί'.* Incidit igitur, scilicet perverse, versum commate post *μίασμα*, quod Oedipum denotari censebat et praeterea *συναίμονος* scriptum videbat; sed non dubium est quin neque *ἡ δέ* neque *ἦλθον* legerit. Quin etiam hoc pro certo affirmare possumus, si revera *ἦλθον* in codice invenisset, eum profecto non fuisse crediturum hoc loco Oedipum significari. Ne multa, *ἦλθον*, quod multo ineptiorem praebet sententiam quam *ἦλθεν*, ab eodem illo profectum videtur, qui alteram scholii partem adjecit. *ἡ δέ* autem post scholiastae tempus intrusum est a correctore, qui cum *συναίμονος* et *ἦλθεν* legeret, aliquod vocabulum desideravit, quod subjecti vices sustineret.

Iphig. Aul. v. 919. Achilles Clytaemnestrae opem suam imploranti respondere incipit, tam saepe easdem sententias eademque verba repetens, ut jure mireris, quod Klotzius ne unum quidem versum in interpolationis suspicionem vocare audet. Magnam enim dubitationem praebent versus 938—974., quod ut facilius perspici possit, partem eorum describere liceat.

935. κοὔποτε κόρη σὴ πρὸς πατρὸς σφαγήσεται,
ἐμὴ φατισθεῖσ'· οὐ γὰρ ἐμπλέκειν πλοκὰς
ἐγὼ παρέξω σῷ πόσει τοὐμὸν δέμας.
938. τοὔνομα γάρ, εἰ καὶ μὴ σίδηρον ἤρατο,
τοὐμὸν φονεύσει παῖδα σήν. τὸ δ' αἴτιον
940. πόσις σός· ἁγνὸν δ' οὐκέτ' ἐστὶ σῶμ' ἐμόν,
εἰ δι' ἔμ' ὀλεῖται διά τε τοὺς ἐμοὺς γάμους
ἡ δεινὰ τλᾶσα κοὐκ ἀνεκτὰ παρθένος,
θαυμαστὰ δ' ὡς ἀνάξι' ἠτιμασμένη.
ἐγὼ κάκιστος ἦν ἄρ' Ἀργείων ἀνήρ,
945. ἐγὼ τὸ μηδέν, Μενέλεως δ' ἐν ἀνδράσιν,
ὡς οὐχὶ Πηλέως, ἀλλ' ἀλάστορος γεγώς,
εἴπερ φονεύει τοὐμὸν ὄνομα σῷ πόσει, κτλ.

Adnotat Guil. Dindorfius: 'Seclusi versus (938—74.) interpolatoris veteris, quibus sublatis undeviginti Achillis versibus 919—37. totidem respondent versus Clytaemnestrae 977—995.' Sed cum nuper L. Dindorfius initium quoque sermonis Achillei (919—21., in quibus πρόσω

et ἀσχαλᾶν jure improbat) removendum esse fortasse recte judicaverit, cum praeterea Weileinus in Clytaemnestrae quoque verbis complures versus delendos viderit itemque Hen... alios non paucos damnaverit, aequabilitas illa versuum ab hoc loco aliena putanda ... Quare num Guil. Dindorfius, quod tot versus eici vult, recte faciat, ego quidem vehementer dubito. Mihi enim, ut statim sententiam meam proferam, v. 938 — 43. itemq. 955 — 74. expungendi, illi autem qui interjecti sunt versus 944 — 54. Euripide haud indi... videntur, quamquam v. 947. εἴπερ — πόσει, in quo Musurus εἴπερ pro ὅςπερ correxit, Sch...ferus φονεύσει, Nauckius in altera editione εἰ προὐξένησε ut sententiae accommodatum prop... (multo improbabilior est Burgesii conjectura παῖδα σήν), nondum satis emendatus ... Si enim rationem, qua sententiae sese excipiunt, nobiscum reputaverimus, hoc nobis ma...festo apparebit, aut v. 938. aut 947. scripturam se male habere. Quid enim? poeta p... paucos versus num eadem verba de eadem re usurpare putandus est? Si autem v. 938—... ut suppositicios uncinis includimus, quanto melius res se habere videtur? Achillis ... verba credo fuisse fere haec: 'Nunquam filia tua a patre mactabitur, cum mea dicta ... neque enim me marito tuo concedam ad fraudes nectendas'. Si Achilles, id quod Dindorf... arbitratur, nihil aliud adiceret, oratio esset jejuna atque imperfecta. Bene in hunc vir... fortissimum quadrant, quae inde a v. 944. usque ad 954. legimus, modo unum vocab... mutemus. Pergit enim sic: 'Ego profecto pessimus omnium Graecorum, ego nullius es... pretii, si maritus tuus impune nomen meum ignominia afficeret. Per Nereum, nunqu... tanget filiam tuam, aut si hoc fiet, Sipylus pradicabitur, quasi proveniant inde fortes ... Phthiae autem nomen nusquam pronuntiabitur'. Praeclare igitur haec omnia decurr... totusque sermo Achille dignus est, si v. 938 — 943., quibus nihil facilius et commodius ... terminari potest, loco suo expellere non dubitamus et praeterea v. 947. emendam... Fortasse legendum est

εἰ ὑπερφρονεῖται τοὐμὸν ὄνομα σῷ πόσει

(pro quo nescio an alii praeferant εἰ περιφρονεῖται), quod non solum a sententia sed eti... ductibus litterarum commendatur; facile enim ειυπερ in ὅςπερ, φρονεῖται autem ϱ littera ej... praesertim jam prius versu 939. per interpolatorem inserto, in φονεύει depravari potuit. ... autem εἰ ὑπερφρονεῖται vere restitutum est, sequitur versum qui praegreditur 945. ὡς ... Πηλέως, ἀλλ' ἀλάστορος γεγώς, quoniam sic ἀλάστορος ineptum est, Nauckio suadente delend... esse. In sequentibus versibus (955 — 74.) removendis libenter Dindorfio assentiemur. q... Achilles etiam atque etiam eadem pronuntiat, praeterea v. 963. de Clytaemnestra, qua... sermonem confert, quasi absente loquitur, denique quod quendam sermonis contex... omnino non possumus reperire, ut in 968 — 970. Itemque in prioribus illis versi... 938 — 43. multa invenimus quae reprehendamus. Quid vult sibi, quaeso, v. 943. θαυμα... δ' ὡς ἀνάξι' ἠτιμασμένη (jam a Nauckio notatus)? Non minus suspecti sunt versus 938—... τοὔνομα γὰρ — παῖδα σήν, quo inutili additamento ea quae Clytaemnestra antea Achilli ... posuit ab hoc repetuntur; aperte auctor horum versuum ea quae Clytaemnestra 910. v... ratur (ὄνομα γὰρ τὸ σόν μ' ἀπώλεσ') memoria habebat. Denique ne illud quidem prae... mittendum est, quod Achilles, modo a Clytaemnestra certior factus de tota re, ipse illam ... Agamemnonis consiliis docere conatur, quasi regina nihil sciat. Quae cum ita sint, a Kir...hoffio nullum ex omnibus his versibus, a Nauckio paucos ut suspectos notatos esse ... mihi mirum est. Addo unum: si L. Dindorfius, quod ego quidem persuasum hab...

v. 919—21. delendos esse recte vidit, sine dubio etiam 922—25. ex interpolatoris manu profecti sunt.

Secludendi mihi videntur, utpote qui interpolatoris sint antiquioris, **Iphig. Aul. v. 1247—52.**, qui haud dubie ab Iphigeniae verbis, quae inde a v. 1211. usque ad 1252. pertinent, facile resecari possunt. Iphigenia patre diu frustra implorato fratrem orat, ut una lacrimetur patrique supplicet:

1241. *ἀδελφέ, μικρὸς μὲν σύ γ' ἐπίκουρος φίλοις,*
ὅμως δὲ συνδάκρυσον, ἱκέτευσον πατρὸς
τὴν σὴν ἀδελφὴν μὴ θανεῖν· αἴσθημά τοι
κἀν νηπίοις γε τῶν κακῶν ἐγγίγνεται.
ἰδού, σιωπῶν λίσσεταί σ' ὅδ', ὦ πάτερ.
ἀλλ' αἴδεσαί με καὶ κατοίκτειρον βίον.
ναί, πρὸς γενείου σ' ἀντόμεσθα δύο φίλω·
ὁ μὲν νεοσσός ἐστιν, ἡ δ' ηὐξημένη.
ἓν ξυντεμοῦσα πάντα νικήσω λόγον·
τὸ φῶς τόδ' ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν,
τὰ νέρθε δ' οὐδέν· μαίνεται δ' ὃς εὔχεται
θανεῖν. κακῶς ζῆν κρεῖσσον ἢ καλῶς θανεῖν.

Declamationem Iphigeniae olim versu 1246. terminatam fuisse, quo quidquid antea dixit quodammodo complectitur, eo verisimilius est, quod non modo *ἐστίν* (1248.), ut Dindorfius vidit, suspectum, sed etiam versus proxime subsequens (1249.) cum praecedentibus parum apte copulatus est. Praeterea extrema verba, quae apud Stobaeum quoque legimus, cum praesertim Iphigenia jam supra (1218.) similia pronuntiaverit:

μή μ' ἀπολέσῃς ἄωρον· ἡδὺ γὰρ τὸ φῶς
βλέπειν· τὰ δ' ὑπὸ γῆν μή μ' ἰδεῖν ἀναγκάσῃς,

hoc loco supervacanea et ab Iphigenia anxie supplicante alienissima esse evidenter apparet. Idemque de v. 1247., qui propter sententiam collocari debuit ante praecedentem, judicandum censeo, quoniam neque cum superioribus neque cum sequentibus cohaeret: certe nemo eum desiderabit, cum Iphigenia jam v. 1227. *(γένειον, οὗ νῦν ἀντιλάζυμαι χερί)* fere idem dixerit[1]).

Similiter res se habet in **Supplic. 1118—19:**

1114. *ἰὼ τάδε δὴ παίδων φθιμένων*
ὀστᾶ φέρεται· λάβετ', ἀμφίπολοι
γραιᾶς ἀμενοῦς, οὐ γὰρ ἔνεστιν
ῥώμη παίδων ὑπὸ πένθους,
πολλοῦ τε χρόνου ζώσης μέτα δὴ
καταλειβομένης τ' ἄλγεσι πολλοῖς.
τί γὰρ ἂν μεῖζον τοῦδ' ἔτι θνητοῖς
πάθος ἐξεύροις
ἢ τέκνα θανόντ' ἐσιδέσθαι;

In v. 1118., cum codex P. *δὴ χρόνον σώζεις*, C. *δὴ ζώσης* exhibeat, etsi plerique *δὴ* particula in *δέ* mutata jure *ζώσης* amplexi sunt, tamen non multi sibi persuadebunt recte se habere

---

[1]) Non assentior L. Dindorfio, qui etiam versus 1241—48. removendos censet (cfr. Jahrb. 1878).

quae Matthiae ad hunc locum adnotat: ‘lectio satis expedita, *μετὰ πολλοῦ χρόνου ζῆν* dictu. ut *μακρῷ γήρᾳ συνεῖναι* et similia.’ Sed frustra editores in corrigendo hoc versu desudaveru: Merito enim Matthiae abicit quae Hermannus excogitavit, ut aptam sententiam ex hoc lo eliceret, *πολλοῦ τε χρόνου ζωᾶς μέγα δή* (recte enim Wilamowitz: ‘in loco corrupto et forta lacunoso nihil certum nisi post paroemiacum plene interpungendum esse’), itemque Musgravi conjecturam Dindorfio probatam *μέτρα δή;* neque melius se habent quae Kirchhoffius scriben proponit: *πολὺ δὴ χρονίου ζωῆς με τί δεῖ, καταλειβομένην γ’*, quod non modo *πολύ* et *χρονι* praesertim cum illae sint vetulae, redundant sed etiam ea quae sequuntur huic mutatio repugnare videntur: neque enim usquam chorus se mori velle commemorat. Denique ne e eo quidem quod Weckleinus suadet, *μῆκος*, quidquam capitur fructus: si poeta Or. 72. *μακρ δὴ μῆκος χρόνου* dicit, non continuo *μῆκος πολλοῦ χρόνου* probari potest. Sed quid opus emendatione? Facile, si quis hunc locum accuratius contemplatus erit, hos duos vers misere languentes interpolationis suspicionem praebere mihi concedet; sunt enim super vacaneum additamentum, cum non modo versibus 1117. et 1119., sed etiam 1116. et 11 eadem dicta sint.

Etiam **Alcest. v. 857.**, quamquam scholiastae notus atque a nullo adhuc in suspicion vocatus, mea quidem opinione proscribendus est. Hercules multis commemoratis, quae factur sit ut Alcestim Admeto restituat, sic pergit dicere:

853. *καὶ πέποιθ’ ἄξειν ἄνω*
Ἄλκηστιν, ὥςτε χερσὶν ἐνθεῖναι ξένου,
ὅς μ’ ἐς δόμους ἐδέξατ’ οὐδ’ ἀπήλασε,
καίπερ βαρείᾳ ξυμφορᾷ πεπληγμένος,
857. *ἔκρυπτε δ’, ὢν γενναῖος, αἰδεσθεὶς ἐμέ.*
τίς τοῦδε μᾶλλον Θεσσαλῶν φιλόξενος;
τίς Ἑλλάδ’ οἰκῶν; Τοιγὰρ οὐκ ἐρεῖ κακόν
εὐεργετῆσαι φῶτα γενναῖος γεγώς.

Non modo totum versum 857. abundare, sed etiam *ὢν γενναῖος* ex v. 860., *αἰδεσθεὶς ἐμέ* v. 823. *(ᾐδεῖτο γάρ σε τῶνδ’ ἀπώσασθαι δόμων)* petitum esse facile intellegi potest.

Versus, in quibus nonnulla verba lacuna hausta sunt, certa aut probabili conjectura integrum restituere etsi longe difficillimum est, tamen critici in locis hujus generis h admodum paucis non frustra consumpserunt laborem. Quamquam in compluribus profe non potuerunt, quod ex omni parte satisfaceret. Quo in numero ducendi sunt duo **Herculi Furentis** versus, de quibus persanandis ab aliorum sententia recedendum censeo, 149. et 34

Lycus tyrannus Amphitryoni crimini dat, quod per Graeciam disperserit vanum rumor Herculem genitum esse Jove:

149. *ὡς σύγγαμός σοι Ζεὺς τέκοι νέον.*

Cui versui cum pes jambus ad integritatem desit, nonnulli editores (ut Dindorfius) perm auctoritate Erfudtii et Hermanni, *θεόν*, quod Bacch. versu 467. *(Ζεὺς δ’ ἔστ’ ἐκεῖ τις, ὃς νέ τίκτει θεούς)* confirmaretur, conjectura addendum putaverunt. Sed cum poeta tota fabula Hercule nunquam ut de deo, saepenumero ut de homine (jam in versu 150. *ἄριστος* nominatur) locutus sit, illud quod hi viri inferri volunt additamentum, praesertim quo vers sive Wakefieldo suasore *θεὸν νέον* sive de Erfurdtii opinione *νέον θεόν* scribimus, nequaqu suaviter sonet (certe aliis locis Euripides sonum hujusmodi auribus ingratum vitare stud

aperte ne minimam quidem probabilitatis speciem habet. Quod Pflugkius scribi vult *ἐκοινώνει λέχους*, cum neque ad *σύγγαμός σοι* novi quicquam accedat neque divinari possit, quomodo ex his verbis manaverit illa corruptela, nihilo magis dignum est quod recipiatur. Etsi de hoc versu omnino nihil certi contendi potest, tamen non aliter ei medelam afferri suspicor, quam si legatur:

ὡς σύγγαμός σοι Ζεὺς τέκοι σὸν ἔκγονον

h. e. 'illum qui revera tuus est filius non te, sed Jove prognatum esse'. (*Ζεύς* igitur, in quo sententiae pondus positum est, cum majore vi efferendum erit). Quae conjectura mea non male confirmari videtur versibus 339. et 340.

ὦ Ζεῦ, μάτην ἄρ' ὁμόγαμόν σ' ἐκτησάμην,
μάτην δὲ παιδός τοι νεῶν ἐκλῄζομεν,

ex quibus, quamquam v. 340. non minus quam 149. mutilatus est, tamen Jovem ab Amphitryone nominari et *ὁμόγαμον* suum et filii sui satorem apparet atque exstat. Sine dubio librarius nescio quis, cum *ΤΕΚΟΙΣΟΝΕΚΓΟΝΟΝ* ante oculos haberet, paene igitur pari modo scripta videret *τεκοι* et *εκγο* itemque *σον* et *νον*, litterarum similitudine in errorem inductus aberravit, ita ut post *τέκοι* statim *νον*, postea in *νεον* mutatum, describeret. Ceterum Amphitryo ipse, quem v. 50. (*οὑμὸς εὐγενὴς τόκος*) suum appellat filium, eundem Jovi vindicat v. 170.; chori autem verba sunt 353. *παῖδ' εἴτε Διός νιν εἴπω εἴτ' Ἀμφιτρύωνος*, 695. *Διὸς ὁ παῖς*, 876. *ὁ Διὸς ἔκγονος*. Relinquitur ut de v. 340., quomodo mihi emendandus videatur, pauca adiciam. Ex conjecturis, quibus critici locum ad sanitatem restitui posse arbitrati sunt, nulla est quae prorsus certa et probabilis nominari possit: neque *γονέ' ἐμοῦ σ'*, quod Nauckius in verba recipit, formae verborum qualia sunt in codice satis convenit, neque id quod Elmsleius conicit *παίδων γονέ' ἐμῶν ἐκλῄζομεν*, a Dindorfio admissum, sententiae satisfacere videtur, cum unus Hercules, non plures Amphitryonis filii significentur. Neque magis Hermanni emendatio *γονέα νῷν*, cum *νῷν* hoc loco inepte dictum sit, offensione vacat; contra commendatione dignum esset illud, quod Kirchhoffius exhibet *γονέα σ' ὡς ἐκλῄζομεν*, nisi *ὡς*, praesertim cum Amphitryoni nihil certius fuerit quam originem Herculis ducendam esse a Jove, a veri specie abhorret. Quae cum ita sint, scribendum propono:

μάτην δὲ παιδὸς γονέα σ', ὅν σ' ἐκλῄζομεν

h. e. 'frustra te habui filii genitorem, quem te ferebamus'. Similiter Pflugkius reponi jusserat *παιδοποιόν, ὧν ἐκλῄζομεν*: sed ex his verbis eam quam ille censet inesse sententiam 'frustra te habui satorem ejus, cujus te parentem ferebamus' elici posse vix crediderim.

Quam saepe librarii quacunque causa impulsi versuum ordinem inverterint, etsi cum alii critici tum vero maxime Weckleinus multis locis demonstraverunt, tamen in compluribus judicium eorum sequi non possum. Ac primum quidem desumam duos versus ex **Iphig. Taur.**, in quibus Weckleinus, cui tam multa in hac tragoedia debemus, ut merito tibi diffidas, quotiens ab ejus sententia discedendum existimes, mihi quidem sine causa offendere videtur.

116. *οὔτοι μακρὸν μὲν ἤλθομεν κώπῃ πόρον,*
ἐκ τερμάτων δὲ νόστιον ἀροῦμεν πάλιν.

Hos versus, quorum sedem commutare jam alii conabantur, Weckleinus ex Orestis oratione exemptos post v. 105. inseruit, Pyladi adscribens: meo quidem judicio haud admodum probabiliter. Qua in re non omittendi sunt Orestis versus 102 — 103.:

ἀλλὰ πρὶν θανεῖν, νεὼς ἔπι
φεύγωμεν, ἧπερ δεῦρ' ἐναυστολήσαμεν,

a quibus Weckleinus causam repetit, cur v. 116. et 117. ab eodem Oreste abjudicet. Q postquam se cum amico non posse in templum introire imaginemque auferre exposuit, fug commendat, sive Pyladis amore inductus (quem quantopere diligat, ex v. 598 — 605. p spicuum est, quibus ab Iphigenia postulat, ut ipse pro Pylade immoletur, amicus au remittatur in patriam), sive quod se inutile negotium suscipere videt: quam rem cur tribuas ignaviae, nullam invenio causam. Dindorfio igitur auctore hos duos versus, ne Ore videatur fugam suadere, interrogative dictos putare aut Hartungio jubente pro ἀλλά scrib ἀλλ' ἦ vix opus fuerit. Respondet Oresti Pylades, quae, si versus illos in ejus oratio non inferimus, perbene inter se cohaerent. Loquitur enim fere haec: 'cum neque f salutem petere moris nostri sit et quod Apollo mandavit nobis sit perficiendum, discede a templo nos in antris occultemus, et quando obscurrissima nox appetet, quocumque m (vides templi foramina, per quae corpus demittere possimus) statuam ex fano rapere aud mus'. Ad quae Orestes: 'recte dicis, neque enim longo itinere confecto prudentis est ab sed uti vis maneamus opportunoque tempore agamus. Non is sum, qui oraculum irri fieri velim (conjectura enim ingeniosa Weckleinus v. 120. recte sic restituit: οὐ γάρ τό γ' αἴτιον γενήσεται πεσεῖν ἄχρηστον θέσφατον, quod idem eodemque fere tempore Wilam invenit; cfr. pag. 245). Haec omnia, praesertim cum Orestes ipse v. 120. (si palmar illam emendationem sequimur) fortem se animum recuperasse significet atque Pylade au etiamsi modo sua ipsius causa fugam suaserit (similiter Cycl. v. 194. Ulixes interr quo fugiat, sed 199. fugam respuit), non idem quod ante de hac re judicare debeat, ad tentiam praeclare inter se cohaerent. Contra ea si suadente Weckleino versus transponi Pyladis verba

φεύγειν μὲν οὐκ ἀνεκτὸν οὐδ' εἰώθαμεν,
τὸν τοῦ θεοῦ τε χρησμὸν οὐ κακιστέον·
οὔτοι μακρὸν μὲν ἤλθομεν κώπῃ πόρον,
ἐκ τερμάτων δὲ νόστον ἀροῦμεν πάλιν.
ναοῦ δ' ἀπαλλαχθέντε κρύψωμεν δέμας

quam male inter se conexa sint atque colligata, quis est qui non videat? Olim Weckle (Jahrb. 7. Supplementband 1873 — 75.) hos duos versus post 112. collocari jusserat, quo q topere series sententiarum interrumpatur ipse nunc videtur intellexisse. Hoc quidem d tari non potest, quin Oresti, cujus cum reliquis verbis artius conjuncti sunt, multo me assignentur. Quare nisi forte, id quod jubet Dindorfius, versus 116. et 117. ut spurii su eiciendi, Orestes aut Pyladis gratia fugam suasisse aut sententiam suam mutasse existiman est; certe non opus est quicquam traicere.

Liceat mihi hoc loco pauca addere de

v. 113. ὅρα δέ γ' εἴσω τριγλύφων, ὅποι κενόν
δέμας καθεῖναι.

In quo, usque ad hoc tempus a nullo probabiliter correcto, Weckleini quoque emend Δωρικὰ δὲ γεῖσα τριγλύφων ὀπὰς κενοῖ nullam aut prexiguam habet verisimilitudinem, praeser qua κενοῖ verbo significatio plane inusitata subiciatur. Sententia, quam hic locus necessar requirit, est ejusmodi, ut sine ulla dubitatione probaremus, si haec scripta essent: παρ' αν

γεῖσα τριγλύφων τόποι κενοί, quae fortasse non minus probabilitatis haberent quam Weckleini conjectura (cfr. Electr. 1271.) Sed cum *ὅρα δ'*, in hunc locum eo magis quadrans, quod verba *ὅρα* — *καθεῖται* aperte parenthesis signis circumdanda sunt, etiam Iph. Aul. 1413. inveniatur, cum poeta praeterea *ὁρᾷς;* (cfr. Or. 166.) et *ὁρᾷς*, (cfr. Electr. 1121. et Bacch. 319.) frequentet, in hoc vocabulo non debere a vulgata recedi mihi quidem persuasissimum est. Novas conjecturas proponere quamquam in versu tam desperato inutile est, tamen quod mihi in mentem venit non reticeo. Scripserim:

ὅρα δ', ἐκεῖ σοι τριγλύφων τόποι κενοί,
δέμας καθεῖναι.

h. e. 'istic sunt tibi loci nudi triglyphis, per quos corpus demittamus'. Ut apud Platonem *κενὸν δένδρων πεδίον* invenimus, sic nescio an *τόποι τριγλύφων κενοί* dici possint. De infinitivo cfr. Platon. Phaedr. 229. *A. ἐκεῖ σκιά τ' ἐστὶ καὶ πόα καθίζεσθαι.*

Etiam **Electrae v. 965 — 966.** viri docti sine causa transponere conati sunt:

959. Or. *εἶεν· κομίζειν τοῦδε σῶμ' εἴσω χρεὼν*
σκότῳ τε δοῦναι, δμῶες, ὡς ὅταν μόλῃ
μήτηρ, σφαγῆς πάροιθε μὴ εἰσίδῃ νεκρόν.
962. El. *ἐπίσχες· ἐμβάλωμεν εἰς ἄλλον λόγον.*
Or. *τί δ'; ἐκ Μυκηνῶν μῶν βοηδρόμους ὁρᾷς;*
El. *οὐκ, ἀλλὰ τὴν τεκοῦσαν, ἥ μ' ἐγείνατο.*
965. Or. *καλῶς ἄρ' ἄρκυν εἰς μέσην πορεύεται.*
El. *καὶ μὴν ὄχοις γε καὶ στολῇ λαμπρύνεται.*
Or. *τί δῆτα δρῶμεν; μητέρ' ἦ φονεύσομεν;*
El. *μῶν σ' οἶκτος εἷλε, μητρὸς ὡς εἶδες δέμας;*

